

disimum, vt ille sciat quot Prædicatores Generales extent, & qui nam seniores sint, proindeque Capitulares.

20. Hoc eodem modo, & ordine procedant Magistri Nouitiorum ad duodecim annos Magisterij probandos, priuilegiaque de quibus supra, consequenda.

## CAPVT VII.

## De Confessarijs.

1. **Q**uoniam Confessarij eligendi in duplici sunt differentia, quoad seculares scilicet, vel quoad Monachos tantum, qui Confessarij Conuentus nuncupari solent: statuimus *Primo*, vt Posteriores isti ab Abbate de consilio Consultorum eligantur, quales scientia, morum grauitate, & ætate decet, vt eis animarum cura, atque salus demandetur.

2. Confessarij sic deputati poterunt audire Confessiones Monachorum sui Conuentus, tum intra, tum extra proprium Monasterium vbiicumque cum illis extiterint. Nouitios verò ac Iuniores poterunt etiam audire, & absoluere de licentia Magistrorum.

3. Poterunt etiam audire Confessiones Monachorum Hospitum, atque in foro pœnitentiæ ita se cum illis habere quoad absolutionem etiam reseruatorum, ac si prædicti Hospites Conuentuales forent illius Monasterij.

4. Non poterunt tamen absoluere à censuris, nec etiam à casibus reseruatis ab Abbate, diebus sequentibus exceptis.

† In die Natiuitatis Dominicæ \* Dominica prima Quadragesimæ: \* Feria quinta in Cœna Domini: \* Dominica Resurrectionis: Festo Pentecostes: \* Festo Assumptionis Deiparæ Virginis: \* In Transitu sancti Patris Nostri Benedicti: & In die quoque celebrationis illius, si contingat celebrari extra Quadragesimam. \* In festo Translationis illius: \* Festo omnium Sanctorum Vniuersalis Ecclesiæ: \* In festo omnium Sanctorum Ordinis Nostri, \* Et in festo Patroni Monasterij. Quæ facultas ad absoluendum incipiet à primis Vesperis, & finietur in secundis prædictorum festorum inclusiuè.

5. Porro

5. Porro casus quos Prælati reservare possunt iuxta Diploma Clementis Octavi sunt huiusmodi.

I. Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

II. Apostasia à Religione, siue habitu demisso, siue retento, quando eo peruenit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat.

III. Nocturna, \* ac furtiua, è Monasterio, seu Conuentus egressio, etiam non animo apostatandi facta.

III. Proprietas contra votum Paupertatis quæ sit peccatum mortale.

V. Iuramentum falsum in iudicio Regulari, seu legitimo.

VI. Procuratio, Auxilium, seu Consilium ad abortum faciendum post animatum fetum, etiam effectu non consequuto.

VII. Falsificatio manus, seu sigilli Officialium Monasterij aut Conuentus \* *Nomine autem, Officialium, intelliguntur Prælati, & omnes qui sub illo habent aliquam administrationem personarum, aut bonorum Monasterij, vt Prior, Cellerarius, & alij.*

VIII. Furtum de rebus Monasterij, seu Conuentus, in eaque iustitate, quæ sit peccatum mortale. \* *Verbo illo (de rebus Monasterij) intelliguntur etiam res ad usum alicuius à Monachi spectantes, vt libri, scripta, vestes, &c. res item, siue bona Congregationis.* b

IX. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. \* *Sub quo tenore verborum, voluntaria quisque pollutio comprehenditur, ipso Clemente Octavo sic explicante.* c

X. Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiusque personæ.

XI. Malitiosum impedimentum, aut retardatio aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.

6. Quoniam verò præfatus Clemens Papa d decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones, sibi reseruet exceptis prædictis, aut omnibus, aut eorum aliquot prout subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerit, præcipimus vt id inuiolabiliter à Prælatis obseruetur, ita vt extra illos vndecim casus, seu quos ex illis maluerint, nullum aliû sibi reservare possint, alioquin reservatio nulla sit.

7. Si

\* *Utrumque coniunctum requiritur.*  
Grassus lib. 3. casu ref. Suar. tom. 4. de Relig.

a Grass. & sic Clemens VIII. exp. pl. cauit.  
b. Suar. vbi supra.

e Authores citati.

d Clemens. VIII. anno. 1523.

7. Si quod verò aliud peccatum graue, eodem sic statuente, pro Religionis conseruatione, aut pro conscientia puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat quam Generalis Capituli matura discussione, & consensu.

8. Excommunicationes autem maiores, & cæteræ censura suspensionis, vel interdicti, quæ ipso facto incurruntur, Prælati reseruatas esse volumus.

9. Præcipimus, vt casus ab Abbate reseruati censura, & præcepta in scriptis ab eo imposita in robore suo permaneant quandiu Præsident, vel Abbas successor aliter non disposuerit. Tempore tamen Capituli Generalis, aut intermedia electionis, nihil circa prædicta poterit innouari (vt supra cap. de Priore dictum est).

10. Non liceat autem (ex prædicto Pontificis decreto) Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, aut proprio motu id ab ijs petierint. \* Clemens  
ubi supra.

Licebit tamen Superioribus determinare penitentias graues quibusdam peccatis etiam non reseruatis à Confessarijs imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis prohibere possint. \* Clemens  
ubi supra.

11. Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarij, qui ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè (eodem Pontifice sic statuente) nè ea notitia, quæ de aliorum peccatis in Confessione habuerunt ad exteriorem gubernationem vtantur. Idem Clemens

12. Cum ergo Confessarij, aut penitentes facultatem à Superioribus petierint, ad absolutionem actiuam, vel passiuam à reseruatis hac forma vtantur. *Casus reseruatos postulo.* Cum tamen censura nomine casuum reseruatorum non veniant, si ab aliqua absolutio facienda sit, facultas expressè petatur, ad vnius vel plurium (si plures fuerint) absolutionem.

Ex præcepto autem Pij Quinti ipsis Prælati præcipimus, vt in vsu huiusmodi potestatis cum suis subditis benignos, & faciles se exhibeant. Pius V.

Sanctitas autem Clementis VIII. deinceps declarauit, vt si huiusmodi Regularium Confessarijs casus alicuius reseruati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus

Confessarij illa vice pœnitentes Regularium, etiam non obtenta à Superiore facultate absoluerent.

13. Ipsi verò Monachis inhihemus, nè alijs à Prælato suo non deputatis, imò nec alicui extraneo sacerdoti Regulari, aut sæculari confiteantur, exceptis Itinerantibus, aut extra Monasterium Congregationis nostræ existentibus, qui vel socio Sacerdoti, vel cuilibet ex prædictis poterunt confiteri, perindè, ac Confessarijs Conuentus, etiam si illi ab Ordinario approbati non sint.

14. Singulos præterea Monachos admonemus, illisq; præcipimus, vt singulis mensibus (prout in Iure statuitur) tam in Monasterijs, quàm extra (sublata occasione quacunque) ad confessionem saltem semel accedant, licet venialia tantum habeant confitenda.

## §.

*De Confessarijs secularium.*

15. **P**recipimus vt ad Confessiones sæcularium audiendas Monachorū nemo (exceptis gradu aliquo sacræ Theologiae, vel sacrorum Canonum insignitis) de nouo à Prælati iuxta Decretum Tridentini Episcopis præsentetur, quin prius coram Consiliarijs, à tribus saltem (secundum Clementinam Constitutionem) peritis fratribus ab Abbate designandis examinatus, à duobus saltem quoad sufficientiam scientiæ approbetur, ac deindè à Consiliarijs quoad morum grauitatem, cæterasque qualitates requisitas dignus censeatur: vtrisque (Examinatoribus scilicet, & Consiliarijs) per calculos albos, ac nigros suffragantibus Iureiurando præmisso. Ab hoc autem Consultorum iudicio nullus omnino sit exceptus, quantumuis aliàs idoneus quoad scientiam secundum prædictam exceptionem reputetur.

† Quod si Abbas prædictum ordinem non seruauerit in præsentandis Confessarijs, qui primo, ac de nouo ad sæculariū Confessiones deputantur, trimestri suspensione subiaceat.

† Confessarius verò qui secundum ordinem præscriptum in aliquo Conuentu semel fuerit approbatus, & Ordinario præsentatus, in alijs deindè Monasterijs de consilio tantum Consultorum ab Abbate poterit præsentari, atque pro sæcularibus deputatus eo ipso Confessarius erit etiam Conuentus.

16. Præcipimus autem in virtute sanctæ Obedientiæ, vt nullus absque præsentatione Prælati, ab Ordinario licentiam, seu approbationem audeat obtinere.

17. Præcipimus insuper, vt nullus Ordinario etiam præsentatus ante 40. ætatis annum ad audiendas fœminarum confessiones à Prælati deputetur, quod si necessitas, conditio, aut qualitas personæ, seu officij aliter fieri postulet, Reuerendissimus in scriptis poterit dispensare, cum Prædicatoribus præsertim si extra Monasterium prædicantes à pœnitentibus fuerint requisiti.

18. Confessarios admonemus, & exhortamur, vt sincera charitate, magnaque ac prudenti consideratione munus suum exercere satagant diuini iudicij memores, in quo rationem sunt reddituri de animabus sibi creditis: cumque fuerint vocati, deuotè se priùs Deo commendent, vt summus Sacerdos Christus Dominus, cuius vicem gerunt in terris, eos ad salutem animarum dirigat, & lucis suæ radio interius illuminet.

19. Præcipimus vt in actû Confessionis, aut illi proximo nihil à Pœnitentibus accipiant, nec etiam per confessionalia, aut per Ecclesiam: nec præter ea, quæ ad Confessionem attinēt confabulationibus vacent, aliòquin grauius puniantur.

20. Statuimus vt Confessarij Matutino tempore ad finem vsque Missæ maioris tantùm, audiendis Confessionibus incumbant. Vespere verò ad Ecclesiam confessiones audituri non accedant absque speciali licentia Prælati (excepto tempore Quadragesimæ, ac Iubilæi.)

21. Extra Monasterium verò ad confessiones audiendas communiter non exeant, nisi, aut necessitas urgeat, aut nobilitas, seu benemeritæ personæ conditio intercedat.

In huiusmodi itaque ministerio ita omnia attemperentur, vt neque Monachalis grauitas deperdatur, neque fraterna charitas deficiat.

§.

*De Iurisdictione Confessariorum ad absoluen-  
dum, dispensandum, &c.*

22. **C**um plura possint Confessarij Regulares, ex priuilegijs præsertim à Sede Apostolica concessis, ea summam præstingere debet,

XIII. IIII.  
Julius I I.

23. *Primo* igitur in ordine ad Monachos possunt Confessarij eos absolueri ab omnibus peccatis, & censuris à Iure, vel ab homine, generaliter, aut specialiter latis, quamvis Sedi Apostolicæ sint reseruatæ, si ad huiusmodi absolutionem, specialem licentiam, ac delegationem habeant, à Prælatis suis, seu à vicem gerentibus illorum, in eorum absentia. Cum facultates etiam, quas Prælati habent ex privilegijs Pontificijs delegabiles sint; nisi fortè in forma, ac tenore alicuius Privilegij dicatur, quòd Prælati ipsi *per se* faciant id, quod in eo fieri posse conceditur: vel nisi Abbatialem dignitatem præsupponant, vt ordines conferre, calices facere, &c.

✱  
Iulius II. vi  
us vocis ora  
culo à pote  
state delega  
ta Prælatorū  
Circa irre  
gularitates,  
exceptis solū  
bigamiam &  
homicidium vo  
luntarium.

24. Possunt etiam circa Vota, Iuramenta, & Irregularitates Monachorum, quidquid eis, Prælati intra limites potestatis sue commiserint, de qua supra Constitut. I. cap. 2.

† Possunt insuper ex cōmissione Reuerēdissimi dispensare cum Monachis in irregularitate homicidij: dummodò tales homicidæ nō sint certi, quod ipsi actualiter occiderunt, nec pro certo sciant, quòd fuerunt tales mandatores, vel auxiliares homicidij, quòd sine illis nullo modo fuisset tale homicidiū perpetratū.

\* Potest autem quilibet Monachus semel tantum in vita dispensari in foro conscientie, à Confessario per Superiorem specialiter ad hoc deputato super Irregularitate, quacunque occasione contracta ex privilegio Sixti IIII.

f. Privilegia  
hec per Bullā  
Cæne abro  
gari (nisi cō  
cedantur cū  
clausula ex  
pressa, vt nō  
censeatur ab  
rogata per il  
lā) tenet A  
zōr to. I. l. b.  
8. c. 19.  
Iul. 2. cōces  
sit Dōmini  
canis ne per  
Bullā Cæne  
privileg. co  
rum cē: ren  
tur abrogata

25. *Secundo*, ex speciali licentia Prælati possunt Confessarij absolueri Novitios à quibuscunque peccatis, & censuris reseruatīs, sicuti, & professos: tum ex vigore aliarum Concessionū, tum ex speciali Indulto Pauli III. cuius tenor hic ferè est.

¶ *Concedimus, vt omnes, & singulos eiusdem Societatis socios, & personas sub eorum obedientia, disciplina, & correctione degentes absolueri possint ab omnibus, & singulis eorum peccatis ante, vel post ingressum in dictam Societatem per eos commissis, necnon à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, alijsq; Ecclesiasticis, & secularibus sententijs, censuris, & pœnis à Iure, vel ab homine quomodolibet latis, & promulgatis, & non nisi excessis absoluturum adeò graues, & eaormes fuerint, quòd sint ad Sedem Apostolicam meritò remittendā. Et ad sepe in dubium reuocetur, qui sint ad Sedem Apostolicam destinandi, si declaratione in ea parte, per Sixtū IIII. prædecessorē nostram, factam cōfirmamus.*

Sixtus autem, *f. Declaramus* (inquit) *hereticos relaxatos, & schismaticos, & qui literas Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse ad Sacram Apostolicam merito destinandos.* \*

\* Nō limitat potestatem absolucndi ad casus tantū occultos.

26. Possunt etiam Confessarij ex speciali licentia Prælatorum, cum Nouitijs dispensare in omnibus Irregularitatibus, (Bigamix, & homicidij voluntarij, & mutilationis membri exceptis) iuxta priuilegium Sixti IIII. Minoribus.

27. Possunt denique ex speciali commissione Prælatorum, super omnibus votis \* (solo Religionis excepto) cum prædictis Nouitijs dispensare, & in voto etiam arctiorem Religionem ingrediendi, dummodo in Congregatione nostra professionem emittant, iuxta priuilegium Iulij II. Oliuetanis.

\* Idem dicitur de iuramentis vetuistis, seu pijs quæ solum honorem Dei respiciunt.

28. *Tertio* Quòd attinet ad sæculares, possunt Confessarij à suis Prælatis deputati, & ab Ordinarijs secundum formam Tridentini approbati, absolucere quoscumque Christi fideles, vndequæ accedentes eorum confessionibus diligenter auditis, à quibuscumque peccatis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & à quibuscumque sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis ex illis resultantibus (ijs tantum exceptis, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur.)<sup>c</sup>

<sup>c</sup> Paul. III. Societati.

29. Possunt iidem<sup>d</sup> Confessarij, commutare vota \* sæculariū, etiam si sint iurata, dummodo Commutatio non fiat in præiudicium tertij (exceptis quinque Sedi Apostolicæ reseruatis, voto scilicet peregrinationis Hyerosolimæ, Compostellæ, & Romæ ad limina Apostolorum Petri, & Pauli, Religionis, & Castitatis perpetuæ) nisi sint conditionata, vel pœnalis. <sup>m</sup>

<sup>d</sup> Eug. IIII Cisterciens. Greg. XIII. Societati.

30. Cum sæcularibus etiam, in ieiunijs, & similibus dispensare possunt iuxta priuilegium Eugenij IIII.

\* Idē dicitur de iuramentis, seu pijs soli Deo factis vt iuramentum ieiunandi. Sanchez. Sarrô Suar. &c.

31. Possunt prædicti Confessarij ex commissione Reuerendissimi dispensare in foro conscientix, ad petendum debitum cum ijs qui consanguineunt, vel consanguineam sui coniugis, post Matrimonium carnaliter cognouerunt iuxta priuilegium Pij V.

32. Possunt denique prædicti Confessarij ex commissione Reuerendissimi, dispensare cum his, qui post votum simplex castitatis Matrimonium contraxerunt, admonito pœnitente vt mortuo coniuge votum seruet iuxta priuilegium Pij V.

<sup>m</sup> Sanchez. li. 8. disp. 70. Suar. lib. 6. de voto c. 3.

33. Confessarius itaque siue Monachos, siue sæculares, auditurus,

diturus, decentem locum eligat, sedensque, atque capite cooper-  
to confessiones excipiat, eodemque modo, absolutionis senten-  
tiam proferat, cuiuscunque dignitatis, aut præminentie præni-  
tens existat.

¶ Pius. V.

34. Quoniam verò ex mandato a Pontificio & in fine Bul-  
læ Cœnæ statuitur, vt ad audiendis confessiones Deputati, tran-  
sumptum prædictæ Bullæ literarum penes se habeant, easque  
diligenter legere, & percipere studeant, præcipimus singulis Ab-  
batibus, vt in Sacristia, vel Choro, seu loco aliquo patenti duas  
tabellas iubeant affigi, in quarum vna, Bulla Cœnæ Domini sit  
transcripta, in altera verò nota aliorum casuum Summo Ponti-  
fici, & Episcopo illius Diœcesis reseruatorum, cum diebus etiam  
festis, ac ieiunis, quæ in eadem Diœcesi specialiter obseruantur.

§.

### Casus Bullæ Cœnæ.

35. CASVS autem Bullæ Cœnæ, quæ nunc temporis cir-  
cumfertur, & personæ quæ in ea anathemate feriun-  
tur summam collectæ sunt huiusmodi.

§.

I. Excommunicatur primò Hæretici cuiuscunque sectæ, &  
Apostatæ à Fide: 2. Credentes Hæreticorum, 3. Receptatores,  
Fautores, vel defensores quilibet illorum: 4. Scierit legentes,  
vel Retinentes, vel Imprintentes, vel quomodolibet defenden-  
tes libros eorum, qui hæreses continent, vel de Religione tractant,  
5. Schismatici, 6. Pertinaciter subtrahentes se, vel recedentes  
ab obedientia Romani Pontificis.

§.

II. Secundo excommunicatur Appellantes ab Ordinatio-  
nibus, seu mandatis Papæ ad futurum Cõsiliũ Generale, 2. nec  
non dantes auxilium, vel fauorem Appellantibus. Quod si  
Vniuersitates, Collegia, & Capitula quæcunque id fecerint inter-  
dicuntur.

§.

b. Vgelin.  
Tolet. & alij  
probabilius.

III. Tertio omnes Piratæ Cursarij ac latroneuli maritimi  
discurretes in mare nostrum (idest mare Suanmi Pontificis, quod  
scilicet



scilicet alluit terras Sedi Apostolicę mediatę, vel immediatę subiectas, cuiusmodi est mare Tirrenum, Ionicum, & Adriaticum precipue a monte Argentario, vsq; ad Tarracinam: 2. Excommunicantur etiam Fautores, Receptatores, & Defensores eorundem Piratarum.

§.

III. Quarto excommunicantur surripientes cuiuscunque generis bona Christianorum quorumcunque, Nauibus illa uehentibus quoquo modo naufragium passis, siue predicta, bona in ipsis Nauibus, vel in quouis litore sint inuenta, siue ex eisdem Nauibus eiectas sint in mari.

§.

V. Quinto excommunicantur imponentes noua pedagia, seu gabellas in terris suis, vel illa augētes, seu imponi, vel augeri prohibita exigētes praterquam in casibus sibi a iure, seu ex speciali licentia Sedis Apostolicę permisis,

§.

VI. Sexto excommunicantur Falsarij Literarum Apostolicarum (quę scilicet nomine Papę expediuntur, 2. Falso fabricantes easdem literas, 3. aut eas falso signantes sub nomine Romani Pōtificis seu ViceCācellarij, aut gerentium vices predictorū.

§.

VII. Septimo Excommunicantur deferentes, seu transmittētes ad Sarracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, seu hæreticos exprese, vel nominatim per Sanctam Sedem declaratos, equos, arma, ferrum, omniaque alia metallorum genera, atque Bellica instrumenta, Lignamina, Funes, vel quamlibet ipsarum materiam, aliaque huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant: 2. Facientes item certiores predictos hostes, per se, vel per alios de Rebus concernentibus statum Christianę Reipublicę in damnum Christianorum, vel Religionis Catholicę: 3. Dantes item auxilium, Consilium, vel fauorē quomolibet predictis infidelibus, vel Hæreticis in damnum Christianorum.

§.

VIII. Octauo Excommunicantur impediētes, seu inuadētes eos, qui uisualia ad usum Romanę Curię adducunt: 2. Prohibentes item, impediētes, seu perturbantes ne predicta ad Curiam

Curiam adducantur. Defendētes denique per se, vel per alios eos qui prædicta faciunt.

§.

IX. Nono Excommunicantur Lædentes per se, vel per alios venientes ad Curiam Romanam, ob negotia scilicet ad Sedem Apostolicam spectantia, morantes in ea, & recedentes ab ea: 2. vexantes itē sine iurisdictione eos qui in eadē Curia cōmoratur,

§.

X. Decimo Excommunicantur Lædentes Romipetas, seu peregrinos ad Urbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes eos interficiēdo, mutilando, vulnerando, detinendo, seu deprædando: 2. Dantes item in his auxilium, consilium, vel fauorem.

§.

a Felicis de  
pœn. in 6.

XI. Vndecimo Excommunicantur offendentes Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos Sedisque Apostolicæ Legatos, seu Nuncios, eos interficiendo mutilando, vulnerando, percutiendo, capiendo, carcerando, detinendo, hostiliter insequendo, aut eos à suis Diæcesibus, territorijs, terris, seu dominijs eiiciendo: 2. Prædicta item mandantes, vel ratahabentes, seu præstantes auxilium, consilium, vel fauorem.

§.

XII. Duodecimo Excommunicantur Lædentes per se, vel per alios directè, vel indirectè occidendo, vel quoquo modo percutiendo, seu spoliando quascunque personas ad Romanam Curiam super causis, & negotijs suis recurrentes, ac illa in eadē Curia persequētes, ipsorumvè negotiorum gestores, vel iudices superdictis causis, vel negotijs deputatos: Si prædicta faciant occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi: 2. Procurantes item illa delicta fieri, dantes auxilium, consiliū, vel fauorem.

§.

XIII. Decimotertio Excommunicantur Recurrentes ad potestatem laicam prætextu friuolę Appelationis à grauamine, vel à futura exequatione literarum Apostolicarum, tam gratiã, quàm iustitiam concernentium, necnon citationū, inhibitionū, sequestrorum, monitoriorum, processuum executionalium, & aliorum decretorum, quæ à Romano Pontifice Sede Apostolica, Legatis, Nuncijs, Præsidentibus Palatii, & Camere Apostolica

licz Auditoribus, Commissarijs, alijsque iudicibus, & delegatis Apostolicis, emanarunt, aut pro tempore emanauerint.

Secundò, Facientes item admitti huiusmodi Appellationes, capi, aut retineri prædictas literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta.

Tertiò, Impedientes, vel prohibentes, ne prædicta omnia, aut simpliciter, aut sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni mandentur.

Quartò, Impedientes, vel prohibentes, ne Tabelliones, & Notarij super huiusmodi literarum, & Processuum executione Instrumenta, vel acta conficiant, aut ne confecta parti, cuius interest tradant.

Quintò, Capietes item, percutientes, vulnerantes, carcerantes, detinentes, eiicientes ex Ciuitatibus, locis, & Regnis, spoliantes bonis, perterrefacientes concutientes, comminantes, per se, vel per alios publicè, vel occultè, Partes adrices, seu earum agètes, Consanguineos, Affines, Familiars, Notarios, Exequutores, & Subexequutores Literarum, Citationū, & aliorū prædictorum.

Sextò, Præsumentes prohibere, statuere, seu mandare directè vel indirectè, ne quis ad Curiam Romanam, pro quibusuis negotijs, prosequendis, seu gratijs, vel literis impetrandis accedat, aut ne cursum habeat, vel ne literas à dicta Sede Apostolica impetret, seu in petratjs utatur.

Septimò, Præsumentes denique prædictas gratias, vel literas impetratas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere.

XIII. Decimo quarto, Excommunicantur omnes per se, vel per alios autoritate propria, ac de facto auocantes causas Beneficiales, Decimarum, seu alias spirituales, vel spiritualibus annexas à quibuscunque Iudicibus Ecclesiasticis, C. Quoniã, de immuni, in 6.

Secundò, Impedientes earundem causarum cursum, & audienciam, ac Personas, Capitula, Conuentus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes.

Tertio, Interponentes se tanquàm Iudices de illarum causarum cognitione.

Quarto, Compellentes partes adrices, quæ committi fecerūt huiusmodi causas ad reuocandum, vel reuocari faciendum, Ci-

raciones, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas.

Quintò, compellentes easdem partes ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, absolui à censuris, & pœnis in illis contentis.

Sextò, Impedientes quomodolibet executionem literarum Apostolicarum, executorialium, processuum, & decretorum prædictorum.

Septimò, Præstantes prædicta facientibus fauorem, consiliù, vel assensum. Neque ab hac censura excusant prætextus quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum, vel prætextus violentiæ prohibendæ, informandi, seu supplicandi Romanum Pontificem, nisi supplicationes huiusmodi coram Sede Apostolica legitimè prosequantur.

C. si index.  
de sent. ex-  
cóm. in 6. &  
in Extrau.  
ad Reprimen-  
dam.

XV. Decimoquintò, Excommunicantur Iudices sæculares trahentes, procurantes, seu facientes trahi, directè, vel indirectè quouis quæsito colore personas Ecclesiasticas, Capitula, Cõuentus, Collegia Ecclesiarum quarumcunque ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consiliùm, vel Parlamentum, præter Iuris Canonici dispositionem.

C. Nouerit.  
C. Graues.  
de sent. ex-  
cóm.  
Ca. Non mi-  
nus, de im-  
munit. in 6.

Secundò, Facientes, ordinantes, & publicantes Statuta, Ordinationes, Constitutiones, Prægmaticas, seu quæuis alia decreta, in genere, vel in specie ex quauis causa, & quouis quæsito colore, etiam prætextu cuiusuis consuetudinis, aut Priuilegij, vel alias quomodolibet.

Tertiò, Utentes Statutis, Ordinationibus, Constitutionibus, seu quibusuis alijs decretis, factis, & ordinatis, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur, seu quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expresse Iuribus Sedis Apostolicæ, ac quarumcunque Ecclesiarum præiudicatur.

C. Quoniam  
de Immun.  
in 6.

XVI. Decimosexto, Excommunicantur impediens Episcopos, aliosque superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunque iudices Ecclesiasticos, Ordinarios, ne iurisdictione sua Ecclesiastica contra quoscunque vtantur, secundum quod Canones, & sacre Constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini statuunt.

Modi

Modi autem quibus impediri non debēt sunt, quomodolibet hac de causa directē, vel indirectē carcerando, molestando eorum Agentes, Procuratores, Familiars, Consanguineos, & Affines.

Secundò, Recurrentes etiam ad Curias sæculares, sententias, & Decreta prædictorum Iudicum, seu ab eis delegatorum, aut aliàs fori Ecclesiastici iudicium eludendo.

Tertiò, Procurantes à Curijs sæcularibus prohibitiones, & mandata etiam pœnalia prædictis Iudicibus decerni.

Quartò, Decernentes, & exequentes eadem mandata, ac prohibitiones.

Quintò, Dantes auxilium, consilium, patrocinium, vel fauorem in prædictis.

Clement. c. Religiosi, de Decimis.

§.

XVII. Decimoseptimò, Excommunicantur vsurpantes iurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus pertinentes ad Sûmmum Pontificem, & Sedem Apostolicam, vel quascunque Ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, vel aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum.

C. Cupiente de pœnitent. Trid. s. fl. 22. de Reform. cap. 11.

Secundò, Sequestrantes etiam prædicta quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia.

§.

XVIII. Decimo octauò, Excommunicantur imponentes, absque expressa, & speciali licentia Romani Pontificis, per se, vel per alios directē, vel indirectē, Decimas, Collectas, Tallias Prestantias, & alia onera personis Ecclesiasticis, vel bonis, fructibus, redditibus, seu proventibus earundem personarum, vel Ecclesiarum, Monasteriorum, seu aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum.

Secundò, Exigentes item prædicta onera, aut imposita etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipientes.

Tertio, Facientes prædicta per se, vel per alios directē, vel indirectē, exequentes, vel procurantes, dantes in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem. Innouantur præterea decreta super his per sacros Canones tam in Lateranensi quam alijs Concilijs generalibus edita etiam cum censuris, & pœnis in eis contētis.

b C. Non minus, de immu. C. Adversus, Ca. Clericus, in c. 1. C. Quoniam

§.

XIX. Decimo nonò, Excommunicantur omnes, & quicunque

Clement. de immu. magi-

magistratus, Iudices, Notarij, Scribæ, Exequutores, Subexequutores, Consiliarij, Senatores, Præsidentes, vel alij quouis nomine nuncupati, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus, contra personas Ecclesiasticas illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias cōtra illas proferendo, vel exequendo sine speciali specifica, & expressa sanctæ Sedis Apostolicæ licentia.

§.  
XX. Vigesimo, Excommunicantur præsumentes terras, loca, & iura ad Romanam Ecclesiam pertinentia, ei que immediatè, vel mediatè subiecta per se, vel per alios directè, vel indirectè in toto, vel in parte innadere, destruere, occupare.

Secundo, Præsumentes iurisdictionem supremam in illis de facto competentem vsurpare, perturbare, retinere, vexare.

Tertiò, Nec non adherentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes.

¶ 36. Ab his igitur Censuris nemo (extra articulum, seu probabile & periculum mortis) nisi per Romanum Pontificem, aut de licentia ipsius potest absolui, quod si aliquis fortè beneficiū absolutionis aliter de facto impendere præsumpserit excommunicationis vinculo (non reseruato tamen) eo ipso innodatur.

¶ 37. Aduertant autem Confessarij, quod nec etiam in articulo, aut periculo mortis aliquem ex prædictis possunt absoluerè, nisi prius duplicem cautionem Pœnitens præster, vnā de satisfaciendo ijs, quos læsit, si realis satisfactio commodè præmitti nequeat: alteram b iuratoriam, de parendo mandatis Ecclesiæ, iuramentum scilicèt sub quo Confessarius illi iniungat, ne iterum crimen illud committat, ratione cuius in aliquam ex prædictis censuris prolapsus est.

¶ 38. Aduertant denique, quod si præcisè ratione articuli, aut periculi mortis, & non ex vi alicuius Bullæ, Priuilegij, aut Iubilei, aliquem à prædictis casibus absoluant, tenentur a ei sub iuramento iniungere, vt morte non subsequuta quam primum potuerit, se summo Pontifici præsentet, Mandatum Apostolicū humiliter suscepturus, alioquin si se præsentare neglexerit in eandem Excommunicationem b recidet ipso iure.

## CAPVT VIII.

## De Sacrista.

1. **S**Tatuimus vt de Consilio Consultorum eligat Abbas Sacristam, ex antiquioribus Sacerdotibus sui Conuentus quoad fieri possit, qui fidelis sit, grans, & sollicitus, atque ad res Ecclesiæ, & altarium curiose pertraçandas, sit propensus.

2. Hic ante omnia sollicitam cum tremore, & reuerentia curam habeat sanctissimi Corporis Christi Sacramenti, quod sub custodia semper clausum, & in sacra Pixide mundissime, & dignissime habeat repositum, clauemque Sacrarij sub alia clauis semper clausam teneat, illudque bis in mense reuerenter renouet.

3. Præcipimus pro veneratione tanti Sacramenti, vt formula consecrandæ, ex polline, siue flore farinæ triticæ densiore incerniculo repurgatæ fiant, vt candidissimum, & nitidissimum Sacratissimo corpori Christi Domini habitaculum præparetur. A solo tamen Sacrista, seu Monacho alio sacris saltem initiato prædictæ formulæ rotundentur; *Similiterque* vinum quod in Monasterio fuerit generosius, pretiosius, seu melius pro Missis celebrandis tribuatur, quod Officiales *in virtute sanctæ Obedientiæ*, seruare teneantur, Abbas verò sub bimestri suspensione faciat obseruari.

4. Caucat autem Sacrista nè vinum aliquando acre, seu acerbum in materiam tanti sacrificij subministret; curetque diligenter, vt omnia Altarium paramenta, siue linea, siue serica, sint munda, pulchra, & conuenienter aptata, Corporalia præsertim, sanguitergia, & palla quibus Calix regitur, quæ non quauis ratione pura esse volumus, sed purissima mundissima, odorata, atque suffita.

5. Statuimus vt in quolibet Altari, Ara lapidea sacra, panolo lineo sit induta, Secundò totum Altare linteo oblongo vestiatur, Tertiò linteam addatur paruum quod Custodia Corporalium dici solet, vt secundum dispositionem Iuris <sup>a</sup> & perfectioris consuetudinis tres inter Aram, & Corporalia mediant palla. Corporalia verò non ex alia sint materia præter <sup>b</sup> quam

<sup>a</sup> C. si per  
n eglig. de  
consecrat. d.

<sup>b</sup> C. consulto  
de consec. d.

ex lino: similiter etiam opercula calicis ex parte saltem interiori quæ ipsius tangit orificium.

6. Præcipimus vt nullum Missæ sacrificium celebretur cum vno tantum luminari, aut cum globulis cereis, sed in vnoquoque ardeant duo saltem Cereoli ex puriori cera quoad fieri possit confecti, quod Abbas faciat obseruari sub pœna suspensionis menstruæ, alteriusque pœnæ grauioris in Visitationibus insignenda, si in his defectus reperiatur.

7. Statuimus etiam, & præcipimus, vt in singulis Monasteriorum nostræ Congregationis Ecclesijs, duo semper lychni penfiles, seu lampades duæ, die noctuque ardeant, vna scilicet coram sanctissimo Corpore Christi in Sacrario Conuentus custodito: altera coram sanctissimo Patriarcha, ac parente Benedicto, licet imago eius in eodem Altari venerabilis Sacramenti existat, vt qui per viam innumeris coruscant lampadibus in cœlum ascendit, vna saltem in terris à filijs honoretur: Quod subdita pœna Abbates obseruent.

8. Ordinamus vt in Monumento seu (vt aiunt) Sepulchro, feria Quinta in Cœna Domini fieri solito, octoginta saltem ardeant lumina toto illo tempore, quo summe venerandum Sacramentum in propatulo extiterit.

† A feria autem Sexta in Parasceue vsque ad Resurrectionem aliqui etiam coram eo in feretro atrato clauso, die noctuque ardeant cereoli.

9. Statuimus, vt Reliquiæ sacræ in Armario aliquo seu loco decenter ornato: oleumque sanctum pro infirmis Fratribus vngendis, nec non a famulis actu b seruietibus, ac intra septa Monasteriorum commorantibus, & sanctum Chrisma in vase argenteo seu stanco seruentur.

10. Præcipimus autem in virtute sanctæ Obedientiæ, vt Monachorum nemo cuiuscunque qualitatis sit, predictas Reliquias sacras ad Sacristiam pertinentes, vel aliquid earum furripere, sibi appropriare, alijs donare, seu alicui extra Monasterium commodare audeat, & presumat; nisi aliquid forte minimum ad huiusmodi pium commodationis vsum destinatum habeatur.

† Eas porro quæ ad infirmos adduci solent, Monachi latores illarum sub eodem præcepto secum reducant.

11. Omnes præterea obligationes Missarum, & Anniuersariorum



fariorum in Tabula quadam apud Sacristiam pendente clarè, & distinctè describantur, explicenturque ibidem eleemosynarum, seu bona quæ ratione cuiuscunque, Monasterio fuerunt collata; Abbatis verò, & Sacristæ conscientias grauerè oneramus, vt solite curent huiusmodi obligationibus satisfieri, prædictis Missis singulis annis per Sacerdotes Monasterij distributis.

12. Ad munus deniq; Sacristæ spectat toto tēpore celebrationis Missarum silentium in Sacristia facere obseruari: cumque tintinabulum Ecclesiæ insonuerit personaliter statim Cuculla indutum occurrere, modesteque, grauerè, ac beneuolè pulsantibus satisfacere.

† Non consentiat autem in Ecclesia, prandere, cœnare, aut aliquid indecens fieri, Epistolas, aut munuscula cibi, seu potus per Ecclesiam recipere, aut reddere, sed omnia hæc ad ostium Monasterij transmittat, alioquin graui disciplinæ subiaceat.

† Nec item permittat vt Monachorum aliquis, in Ecclesia, aut Confessionarijs absq; licentiâ colloquatur, alioquin tanquam in obediens puniatur, & si non emendauerit suspendatur ab Officio, aut omnino priuetur.

13. Vltimo tandem si in maioribus Conuentibus difficile sit Sacristam per se solum quæ sui sunt muneris exequi, vel ei socius Iunior assignetur qui cum obedienter coadiuuet, vel Abbas ita res disponat, vt aliqua ex parte allenato onere Sacrista ipse seruiat Domino in latitia.

## §.

*De Bonis seu Eleemosynis aduentitijs, & incertis Sacristiæ.*

14. Quoniam in aliquibus Monasterijs nostris ratione Missarum & Officiorum, quæ pro defunctis sunt incerta bona Sacristiæ adueniunt, vt in omnibus ordinatè procedatur, sequentia statuimus.

15. Ordinamus primò, vt Sacrista habeat librum accepti, & expensi, in quo duo sint tituli separati: vnus expensarum omnium, quæ

quæ in rebus ad Sacrificiam pertinentibus fiunt: Alter Missarum, & Officiorum, quæ in Monasterio celebrari contigerit sub quo eleemosynas pro illis acceptas, Missarumque numerum verè ac fideliter describat.

16. Pecuniam verò acceptam in arculam duarum clauium iniiciat, quarum vnã ille habeat, & altera sit in Deposito: per binos autem aut trinos menses coram Abbate, & Depositarijs aperiatur arculi, & pecunia numeretur, videaturque an correspondeat Missarum numero, quæ fuerint celebratæ, tandèque recipiatur in libro Depositi sub titulo Sacrificiæ.

17. Præcipimus autem Sacrificiæ *Sub præcepto virtutis sanctæ Obedientiæ*, vt eas soluinmodò Deposito tradat pecunias, seu eleemosynas Missarum, vel Officiorum, quæ actu domi celebrata fuerint, vel quæ alicui sub obligatione ea celebrandi Abbas donauerit: neque Abbas ipse *sub eodem præcepto*, oppositum poterit præcipere.

18. Præcipimus deindè Abbatibus, Vicarijs, & singulis alijs Monachis, vt non applicent sibi, neque vsurpent pecunias, seu eleemosynas Missarum, Oblationum, Officiorum, Confraternitatum, seu aliarum rerum, quæ ad Ecclesiam spectant tanquam liba fœnebria vulgò *beneficia*: sed quidquid fuerit huiusmodi, Sacristæ tandem tradatur, vt in prædictam arculam illud iniiciat, & in libro suo scribat rationibus postea referendum.

19. Permittimus tamen Vicarijs eleemosynam Missæ cantatæ Officiorum quæ fiunt pro Defunctis: concedimusque, quod possint acceptare cum licentia Prælatorum, eleemosynas Missarum, quæ non fuerint ex Confraternitatibus seu Officijs, sed quæ illis aliis ex deuotione offeruntur.

20. Licet præterea velimus quòd Monachi non possint vsurpare sibi eleemosynas Missarum quæ ad Monasterium nulli determinatè, & in particulari destinatæ veniunt, nec eas à Sacrificiâ diuertere, vt sibi applicent, concedimus tamen vt possint accipere eas, quæ inter confitendum sibi donantur, aut determinatè ad illos destinantur, seu illis offeruntur.

21. Indulgemus etiam, vt cum prædicta arcula aperitur, vel cum Officia fiunt, seu prout Abbas disposuerit, aliquid Sacerdotibus pro Religiosis necessitatibus dari queat, sub obligatione aliquarum Missarum Sacrificiæ.

De Prouisione Sacristie.

22. Quoniam ipsa rationis reſtitudo dicitur, & exigit, vt ſicut ſtatutis temporibus Monachis prouideatur, ita ſollicitius Apodyterio ſacro prouideatur, altariumque paramenta, ac reliqua cultui diuino dicata innouentur; Ordinamus, & ſtatuumus, vt ordine ſequenti Sacriſtia prouifioni conſulatur, niſi aliquid adhuc amplius, vel Monachorum copia poſtulet, quod à Prælatiſ, vel à Viſitatoribus addi poteſt.

23. Imprimis, Amictus, & ſanguitergia, quibus Calices purificentur, manuumque ſudariola tot ſingulis annis ſiant, & Sacriſtiæ applicentur, quot fuerint Sacerdotes in Monasterio, a choro dextro, cum aliquibus inſuper pro Hoſpitibus.

24. Albx nouæ tres in Monasterijs Maioribus, in Minoribus verò vna ſingulis annis Sacriſtiæ dentur.

25. Lintea ad manus abſtergendas ante, & poſt Miſſam duæ quotannis in prædictis Monasterijs maioribus, vnumque in minoribus de nouo ponantur.

26. Lintea oblonga, quibus Altaria veſtiuntur, Corporalia, & Corporalium cuſtodia: Paniculi item, ſiue linteola ad abſtergendos digitos, tot quotannis ita ponantur, vt tertia pars Altarium ſingula hæc enumerata, annis ſingulis accipiat.

27. Superpellicia ſingula ſiant ſingulis annis in Monasterijs maioribus: in minoribus verò duo ſingulis triennijs.

28. Hæc autem omnia ex tenui filo, ſeu linteo ſiant, ea præfertim, quæ ad Altaris miniſterium immediatiùs pertinent.

29. Secundum numerum Altarium in Sacriſtia ſint Miſſalia, & in Choro vnum, omnia cum vittis, ſeu ligulis ſericis, quibus introitus, & cætera, quæ ſunt dicenda annotentur; tot etiam ſint tintinabula, & ampullæ ad vinum, & aquam continenda.

30. In vnoquoque Monasterio ſint etiam Calices ſufficientes, iuxta numerum Sacerdotum cuiuſque, & quoad fieri poſſit ſint deaurati, vnuſque ſaltem maior, & pulchrior ſit, atque operoſius fabricatus pro Miſſis Maioribus in Feſtis ſolemnibus.

31. Quot autem fuerint Calices tot ſiant puſillala choceleareca argentea modiciſſimam aquam capientia, vt hæc illis in Conc. Flor.

32. Pro vnoquoque Altari habeantur duo Candelabra ex orichalco saltem conflata, pro Altari verò maiori sex.

33. Planeta quoque pro quotidianis Missis celebrandis non sint nimis attrita, aut vetusta, nec ex viliori materia confecta; sed (quoad fieri possit) ex pretiosiori, sicut decet dignum Christo Domino Seruatori indumentum.

† Curent etiam Prælati, vt sicut pro diuersitate Festorum, diuersi coloris sunt paramenta, ita in eodem Festo omnes vestes sacrae sint concolores.

34. Non desint etiam opercula, & cortinae altarium coria rubra, vel alba ad altaria tegenda, cortinae item Sacrarum, vela super humeralia, & pro Calicibus operiendis, stabella pro tempore æstiuo, ac cætera omnia ad ornatum imaginum spectantia, ad elegantiam, & pulchritudinem Ecclesiae, quam vt Abbates, & Sacrista praecolorum pupillis ferant, exoptamus.

35. Praecipimus ergo vt singula praedicta adimplere teneantur Abbates sub poena suspensionis ad arbitrium Reuerendissimi, seu Visitatorum in visitationibus suis, iuxta qualitatem, & grauitatem defectus, infligenda.

† Habeatur etiam Pontificale; Tiara, atque Baculum Pastoralis.

36. Bonorum denique Sacristiae duo inuentaria fiant, quorum vnum sit in libro Officiarum Conuentus, alterum habeat Sacrista apud se, eisque semper adiungat quidquid de nouo fuerit additum.

37. Vltimò tandem, Prælatos admonemus, vt Ecclesias Monasterijs annexas, & Eremitoria secundum indigentiam cuiusque prouideant ante Visitaciones Ordinariorum, & Inuentaria singularum à Vicarijs subsignata praecipiant fieri singulis saltem biennijs. Curent etiam, quòd aliquoties in eis praedicetur, in Quadragesima praesertim, & in Festo Patroni illarum.

## C A P V T IX.

### De Cantore, & Magistro Ceneriarum.

1. **S**Tatuimus vt Abbas quatuor Cantores eligat, quorum primus Cantor maior dicatur, & à Choro dextro se-deat, secundus à sinistro, & eodem modo duo alij illorum substituti.

2. Cantor maior Sacerdos sit vocem habens canoram, & cantu saltem plano eruditus; eo absente alij ordine suo illius vicem gerant.

3. Ad munus Cantoris spectat Conuentum regere, & gubernare in omnibus, quæ canenda sunt, vel recitanda, omnesque illi tenentur obedire, officiumque ab eo iniunctum, siue per tabulam, siue per signa, absque controuersia exequi; quod si aliquis Cantori parere renuat exemplari poena puniatur.

Muneris illius est Tabulam communem Officiorum singulis Sabbatis ordinare, specialemque tabellam, consulto Prælato <sup>s. Reg. 6.</sup> pro Hebdomada sancta, ac Festis efficere, vt qui ædificent <sup>a. au. 39.</sup> ad Altare accedant; Lectiones autem in Choro dicendas Cantor secundus distribuatur.

4. Præcipimus, vt nullus officium sibi in speciali tabula iniunctum alteri commendet absque speciali licentia Prælati.

5. Præcipimus item, vt nullus Officiorum communis tabulæ immunis sit, paucis tantum exceptis. Primò enim qui Generalis munere functi sunt, & qui quadragesimum Religionis annum, ætatisque sexagesimum integrè expleuerunt prædictam communem tabulam non ingredientur: in distributione tamen Missarum Conuentus tot eis plusquam alijs Sacerdotibus iniungentur, quot celebraturi erant, si Priuilegiarij non forent.

† Deindè Prior Monasterij, Diffinitores, Visitatores, Doctores, Lectores, Prædicatores generales, & alij, qui speciatim in his Constitutionibus, aut à Capitulo Generali fuerint exempti, ab Officijs communis tabulæ liberi erunt, exceptis tamen solitis in Monasterio Missarum Hebdomadis.

Socius autem, & Secretarius Reverendissimi, Procuratores Curiales, & Prædicatores Urbici, præterquamquod ab Officijs communis tabulæ sint exempti, Hebdomadarij etiam non erunt, sed aliæ Missæ, secundum consuetudinem, illis commendentur.

6. Statuimus, vt solus Cantor tonum Cantus in Conuentu possit attollere, vel deprimere, velociori manu, vel tardiore ipsum cantum prosequi. Non poterit tamen ea, quæ secundum

legem, seu consuetudineu sunt canenda, sine cantu recitare, aut organo supplere. Cantor autem speciali aliquo favore aliquoties recreetur.

Magistri porro Musicae ( si eam actu composuerint, & si eam curiosè docuerint, cantum scilicèt planum, & figuratum, seu floridum, atque contrapunctum, tribus saltem diebus in Hebdomada) tribus quoque noctibus, matutinis deesse poterunt, dummodò non sint matutinae alicuius Duplicis, aut Festi.

Alios etiam, qui in alia quavis Arte Monachos curiosè magistrant, speciali favore prosequantur Abbates.

¶ 7. Quod verò attinet ad Magistrum Cereemoniarum præcipimus, vt in singulis Conuentibus Abbas designet Monachum aetate, ac Religione prouectum, in Cereemonijs, ac ritibus Ordinis nostri diligenter, atque curiosè instructum, qui Cereemoniarum Magister nuncupetur.

8. Munus illius erit nouiter ordinatos suscepti Ordinis Cereemonias edocere, curare vt cereemonia facienda, tum in Choro, tum in Altari, seu quouis alio actu Conuentuali exactissimè, & perfectissimè fiant. Vnde maxime inuigilet, ne errores committantur in Cereemonijs exequendis, vsu, ac modo illarum.

Omnes verò illi tenentur obedire, ita vt etiam Prælati libenter faciant quod ipse monuerit faciendum.

9. Statuimus, vt in Capitulis Conuentualibus post Clamatoresculparum, prædictus Magister tertius proclamet Cereemoniarum violatores, maleque aut imperfectè, perfunctoriè, aut incompositè illas exercentes.

10. Monachos autem, ac Prælatos admonemus, vt in modo canendi, pausis, cereemonijs, & alijs huiusmodi, omnes vniformiter se gerant captiuantes intellectum in obsequium Obedientiæ, nullusque audeat à Religione recepta, & approbata immutare, aut noua aliqua introducere, absque decreto Capituli Generalis, alioquin grauius puniatur.

11. Cetera quæ ad Cantorem, Magistrum Cereemoniarum, Correctorem, & Pulsatorem organorum spectant (prout in libro Cereemoniali habetur) obseruentur.

## CAPVT X.

## De Secretario Conuentus, &amp; Consilij.

1. **L**icet ad Principem tantum Notarios creare pertineat, quoties tamen opus fuerit poterit Reuerendissimus ex Concessione Pij Quinti Monachos aliquos fide, & Doctrina idoneos, & ab ipso approbatos in Notarios perpetuos creare, constituere, & deputare, vt omnia, & singula mandata, Priuilegia, Concessiones, gratias, Indulta, & rescripta Apostolica communem, vel priuatam Ordinis nostri, seu Monachorum vtilitatem, quomodolibet concernentia, Ecclesiasticis, secularibusvè, quibuscunque personis, tanquam Notarij Apostolici notificare, insinuare, & intimare possint: ac de eisdem omnibus publica acta, & instrumenta conficere, quibus tum in iudicio, tum extra (eodem indulgente Pontifice) plena, & indubitata adhibeatur fides, ac si per alios publicos Notarios fuissent confecta.

2. Præter hos autem à Reuerendissimo designandos, statuimus, vt in singulis Monasterijs Congregationis nostræ duo ab Abbate creentur Secretarij, qui vices Notarij suppleant in his, quæ ad Monasterium pertinent: Vnus erit Secretarius Conuentus, alter Consilij, & ab vtroque Abbas iuramentum fidelitatis exiget, vt vterque scilicet, munus suum fideliter exerceat, secretaque sibi iniuncta non reuelet: vnus autem, & idem Monachus vtrumq; munus (si Abbati placuerit) obire poterit si alias fuerit de numero Consultorum.

3. Munus Secretarij, seu Notarij Cōuentus erit, omnia acta, Decreta, Scripta, Contractus, & Instrumenta veri, quæ ad Conuentum pertinent, vel à Monachis, seu alijs postulantur conficere: responsa item quæ Conuentus reddit in supplicibus libellis, vel in quibusuis alijs negotijs, seu scripturis scribere, & sub his terminis subscribere, *Frater N. Secretarius Conuentus.*

† Ad eundem denique pertinet suffragia quæ in Conuentu scrutantur cum Abbate simul, ac duobus senioribus) nisi aliud aliquando specialiter mandetur) scrutari.

4. Simile munus erit Secretarij Cōcilij in ijs præcise quæ ad Consilium spectant (de quo etiam supra Cap. de Consiliarijs.

## CONSTITVTIO III.

De cæteris Officijs Monasterij quæ tempora-  
lia concernunt.

## CAPVT I.

*De ijs quæ circa Bona immobilia sunt  
obseruanda.*



I.

V M Monasticæ victæ conseruatio, ac disci-  
plina Bonorum temporalium indigeat ful-  
cris, & iuaminibus, sicut anima ad functio-  
nes suas in hac vita obeundas, corporis  
eget instrumentis, & organis: necesse om-  
nino est vt tum Capitula Generalia, tum  
etiã Prelati, & Conuentus, de rebus ipsis temporalibus, ac  
presertim de rebus immobilibus sollicitè curent, illorumque cõ-  
seruatiõni, & augmento studiosè consulant, ne ipsorum fortè  
defectu, deficiat pariter Monachalis vitæ ratio sèsimq; læguescat.

2. Quoniam vero circa bona Monasterij, Alienatio, Loca-  
tio, ac Emphiteutis versari possunt, visorix item, ac rituli sapè  
fiunt, Emphiteutisque ad vendendum, &c. consensus prestari  
solet, de singulis sigillatim pauca seruanda notabimus.

§.

*De Alienatione, & Locatione rerum.*

3. **C**irca Alienationem Bonorum Monasterij per ven-  
ditionem, scilicet, per mutationem, donationem, aut  
specialem hipotecam, ea ad vnguem seruentur, quæ supra Con-  
stitutione i. Cap. 3. numer. 8. decreuimus: grauioribus semper  
præ-



prædictis Alienationibus in Capitulum referuatis. In quibus præ oculis omnino habeatur, vtilitas, aut necessitas Monasterij, vel pietas erga proximos, quæ sunt causæ legitima, ac requisitæ ad Bona Ecclesiastica (seruata solemnitate Iuris) alienanda.

a 12. q. 2. C. sicut.

C. Aurum;  
b C. Tue nup.  
de his quæ s. à Prælato,

4. Statuimus autem quod si Bona aliqua immobilia (quæ de radice dici solent) vel vtilitatis causa, vel quia possideri nequeunt venundentur, pretium illorum non consummatur, sed securè seruetur, vt alia, quæ lucri sint, oblata occasione emantur, aut fiant. Quod Abbas adimplere tenebitur *sub præcepto virtutis sanctæ Obedientie*, & sub pœna priuationis vocis actiua, ac passiuæ in Capitulo Generali.

5. Si quid etiam ex Sacristia, vel Bibliotheca vendatur, pretium datum, in vsus tantum illarum expendi volumus; quod si aliter fiat iuxta qualitatem culpæ puniatur Abbas.

6. Quod verò attinet ad *Locationes*, licet ex Iure & antiquo Bona Ecclesiæ ad longum tempus locare (ad decennium videlicet; & vltra) tanquam species Alienationis, sit prohibitum, & ex Iure nouo per Extrauagantem Pauli I. L. quæ incipit *Ambitiosa*, &c. & communiter Paulina dicitur.) sub grâribus pœnis, prædictæ locationes vltra triennium sint prohibita, ex concessione tamen Leonis X. & Pij V. locationes prædictorum Bonorum vltra tres annos fieri possunt, si id necessitas, aut vtilitas Monasterij postulet.

c Clemes I.  
de reb. Eccl:  
non alien:

7. Statuimus ergo, vt Bona immobilia grauis ponderis, & momenti (vt sunt communiter villa, & grangia Monasteriorum, vel similia) si aliâs non sint solita locari, de nouo locari non incipiant, nec possint, etiam ad triennium, nisi Abbas procedat, vt supra Constit. 1. cap. 3. num. 8.

8. Si verò res locandæ non sint tanti ponderis, & æstimationis, vel sint iam solita locari (vt aliqui agri passalium, Molendina, Domus, vel alia res similes) modo, ac tempore solito locentur.

9. Statuimus deinde quod *Locationes*, seu *Afforamenta* Bonorum immobilium vltra tres annos, ex sola licentia Capituli Generalis possint fieri, nisi aliud postulet consuetudo, vel qualitas rei locandæ, quæ quottannis fructum non edit, vt sunt oliueta, & alia similia.

10. Præ-

10. Precipimus, vt pensiones annuæ (*subido*) vulgò nuncupata, minime locentur.

11. Si denique Domus aliqua fuerint locandæ, non sine fideiussore, seu satisfactione prius præbita locentur; Alioquin Abbas, qui oppositum permiserit ex rebus sui vsus pensionem insolutam soluat.

12. Quòd tandem attinet ad *locationes* Reddituum, & fructuum Ecclesiarum Monasterij, ad breue tempus (triennium scilicet) more solito fiant, ab Abbate, & Conuentu, vel ab alio ex illorum delegata potestate, & mandato Conductõribus illis, qui vtiores fuerint, oblationibus præiunctisque secretò acceptis, edictis antea in locis publicis præfixis. In contractu autem Locationis, cum alijs oneribus antiquis imponatur conductori, vt Ordinarijs Ecclesiam locatam Visitantibus, necessaria subministrent.

13. Precipimus autem, vt prædicti Redditus Ecclesiarum, præ manu, & anticipata solutione minime locentur, nisi fortè vrgens detur necessitas, Reuerendissimique accedat licentia, alioquin Abbas ad arbitrium illius suspendatur; & qui Locationis contractum subscripserint, grauius puniantur.

§.

## De Renouatione, & concessione

### Emphyteusis.

17. Quamquam plura sint, quæ in materia emphyteutica scire vtile, & opportunum foret, ne aliquando subreperet error; hæc tamen paucis circa ea quæ communius occurrunt aduertere libet.

16. *Primò*, cum emphyteuses in multiplici sint differentiâ (quardam enim sunt perpetuæ *Fusiis*, vulgò nuncupatæ: quædam temporariæ libera nominationis appellari solitæ ius hereditatis potissimum respicientes, aliæ tandem quæ de pacto, & prou-

providētia, seu familiarie vocantur, & ius sanguinis cōsequuntur) statuimus circa primum illarum genus, vt emphyteuses perpetuæ, cum sint prohibite non nisi in casibus à Iure b cōcessis fiant, b C. Terrulas 13. q. 2. vel nisi forte terræ aliqua steriles, infœcundæ, aut paludosa sint, c. Ad aures de reb. eccl. non alien. ex quibus Monasterium nihil primò utilitatis accipiat: nec eas secundò per se possit proscindere, colere, atque fœcundas reddere, neque tandem tertio, Coloni inveniuntur, qui cum æquali utilitate eas in tres vitas velint accipere. Tunc enim si hæc tria concurrerint, prædictæ terræ incultæ in emphyteusim perpetuam secundum e ius poterunt concedi licitatoribus, personisvè d plus pensionis annuæ pollicentibus. Fiat autem hæc alienatio, modo quo supra Constitut. 1. cap. 3. num. 8.

17. Quòd si aliud in emphyteusim perpetuam contra Ius cōcedatur, omnes qui prædictum contractum subscripserint e alienantium bona Ecclesiæ pœnas incurrant, de quibus loco citato, e C. si quis presbyter, de reb. alien.

18. Secundò, circa emphyteuses ad certum tempus concessas cum nonnullæ sint personæ, f quæ vel secundum ius, vel secundum decentiam, & præsumptam Ecclesiæ voluntatem, ad Ecclesiastica bona possidenda non assumuntur, statuimus vt prædicia, & possessiones Monasteriorum in emphyteusim non concedantur alteri Monasterio Ecclesiæ, Communitati, aut loco pio: nec item Illegitimis, g tanquam Ecclesiæ merito exosis, nisi aliàs auctoritate Pontificia fuerint legitimati, aut, h rationabilis causa, seu utilis ratio intercedat. f. Vide Gloss. c. Possit, de locato. Verb. prohibentur, g. Cald. de nomin. q. 7. h. Molina 2. disp. 475. q. 6. & 8.

19. Porro circa emphyteusim temporariam libera nominationis, quæ ad vitam trium personarum conceditur, Prælatos admonemus quod si prima, vel secunda persona, nullam nominans intestata decedat, nullique descendentes legitimi, aut ascendentes illius superstites sint, talis emphyteusis ex ipsa Ordinatione Regia ad Monasterium tanquam ad directum dominum devoluta regreditur, licet intestatus ille transuersales habeat heredes. Quapropter præcipimus, vt in hoc, & alijs similibus euentibus in maius bonum Ecclesiæ (quoad fieri possit) utile dominium cum directo consolidetur; atque bona sic consolidata nulli postea in emphyteusim concedantur, nisi utilitas, aut necessitas Monasterij detur, aliàs qui contra fecerint in pœnas alienantium libro 2. Constitutione 1. capite tertio, numero 8. impositas; eo ipso incidant, m lib. 4. tit. 63. Cald. de reb. nou. q. 21.

20. Tertio, circa emphyteusim aliam de pacto, & providentia, pro utroque coniuge, & filio utriusque concessam (si fortè secunda vita habens filios, & filias, aliosque descendentes, nullumque ex illis nominans decedat: in emphyteusis successione, seu nominatione præferatur n̄ quilibet filius, filia, filia nepoti, nepos nepti, & inter plures filios præferatur senior, similiterque inter filias, filiorum defectu intercedente.

21. Porro si tertia vita intestata, & neminem nominans decedat, inter cognatos, præferantur proximiores, & inter plures habiles, & capaces in æquali gradu constitutos, illi renouatio fiat (secundum exuberantem ⁊ renouationis æquitatem, & mixtam ferè huius Regni consuetudinem) qui rationabiliter Abbati, & Conuentui, tanquam directo domino magis placuerit, cum locushic detur ꝑ gratificationi.

22. Si autem tertia vita aliquem nominauerit in iure renouationis petendæ, communior praxis ꝑ censet, & obtinet ius hoc prælegabile esse, ac proinde ab ipsa tertia vita alicui prælegari, seu relinqui posse. Vnde, ut lites euitentur, filio prænominato renouatio fiat.

23. Caueant autem Prælati, & Conuentus ne ante obitum primi possessoris, renouationem emphyteusis alicui promittant. Nec item sollicitatoribus, aut alijs personis (ad hoc, ut nomine Monasterij bona aliqua subnegata retlegant, atque recuperent) ipsorum bonorum titulos, seu inuestituras polliceantur. Procuraciones autem ut prædicta bona ab iniustis possessoribus nomine Monasterij auferantur benè fieri possunt, cum clausulis ordinarijs, & debita aduertentia pro Abbatibus, & Officiariis futuris. Non recipiatur denique pensio ab aliquo priusquam illi renouatio fiat.

24. Præcipimus quartò ut emphyteuses temporariæ non ultra s̄ tres vitas extendantur, nec duplex persona in vnam vitam nominetur, & contrahatur; quæ duo Prælati obseruent sub pœna suspensionis annuæ, priuationisque vocis actiuæ, ac passiuæ in Capitulo generali.

25. Vltimò tandem præcipimus, ut sedimina, seu (ut aiunt) passalia Ecclesiarum, ac præcipuè Monasterij, grangias, aut villas illius, molendina quoque, aut mola frumentariæ, seu alia queuis bona, quæ ab antiquo emphyteuticari non consueuerunt,

nulla

Ordin. lib.  
tit. 36.

Cald. de  
renouat. q. 8.

Cald. de  
renou. q. 17.

n. 26.  
ꝑ Iuxta Va.  
sacrum.

Arg. 2. de  
conces. præ.

f. Auth. de  
monalien. s.  
Emphyte.

Extr. nag.  
Ambrosiana.

nulli de nouo ad certum etiam tempus ad emphyteusim concedantur.

26. Quod si oppositum fieri vtilius, atque commodius aliqui videatur in solo Capitulo Generali facultas poterit concedi, vt Abbate, & Conuentu consentiente de aliquibus ex prædictis possit fieri emphyteusis, passalibus, & manso, vulgò (*assento*) exceptis, quæ sunt veluti dos a Ecclesiæ, vnde percipitur frumentum, & vinum ad sacrosanctam Eucharistiam conficiendam.

a C. secundæ  
23. q. 8. & gl.  
ibidem.  
C. sancitum,  
de censibus.  
b C. causam,  
de præscrip.  
c Valasc. de  
iure emphy.  
q. 12. n. 6.

27. Decimas <sup>b</sup> denique, & pensiones a Colonis annuatim solui solitas in emphyteusim concedi prohibemus.

## §

### De Visorijs, Lustrationibus, seu dimensionibus prædiorum.

27. **C**um priusquam emphyteuses veteres innoventur, seu de nouo tituli fiant, ex cōsuetudine <sup>d</sup> saltem, & cōmuni praxi in Iure satis fundata, necesse sit dimensiones, lustrationes, seu visorias, vulgò *vedorias* bonorum fieri, statuimus, vt ad eas dimensiones inspiciendas eligat Abbas Monachum fidelē, zelo præditum, & expertum circa temporalia, eique iuramentum præstet, vt omnia sincerè tanquam fidelis minister absque vlla fraude, vel dolo exequatur.

28. Primò igitur Monachus sic electus secum deferat lustrationem, seu titulum veterem, vt ex illo constare possit, an aliquid dimetiendum, aut lustrandum occulretur.

29. Deindè nominet, & eligat virum probum pro parte Monasterij, & Colonus inuestiendus pro se eligat alterum, illisque, nec non Colono renouationē petenti iurandum præstet: illis, vt seruata iustitia dimensionem peragant, & pensionem iustam æstiment, Colono autem vt omnia dimetienda, & ad prædium attinentia fideliter indicet, atque reuellet.

30. Porrò Agrimensores illi iurati incipientes a domo, quæ prædij caput est, singula decempeda, seu arundinea mensura metiantur, Monachus verò in peculiari lustrationum codice

(Præcipimus enim, vt omnes in vnum peculiarem librum aggregentur) singula dimensa ex ordine scribat, ædes, agros, fontes, & inciles, riuiolos, & aquas ad prædium quomodolibet attinentes, vineas, oliueta, pascua, prata, hortos, viridaria, arbuta, pomaria, filuas, & cætera omnia, explicans longitudinem, & latitudinem cuiusque, ac sementis quantitatem, quàm singuli capiunt agri, exprimensque singulorum nomina, tum noua, tum antiqua, & illorum confinia ab ortu solis, & occasu, ab Aquilone, & Austro.

31. His denique peractis, dimensioneque finita, pensio deinde soluenda ad arbitrium vtriusque viri probi imponatur. Quod si non consenserint tertius arbiter accedat.

32. Circa hanc autem impositionem statuimus primò, vt in augmento, seu remissione pensionis, ætas, quitas semper seruetur.

33. Præcipimus tamen *in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda* tam Prælati, quàm subditis, prædictoque Monacho Visoriam faciente, vt singuli abstineant se ab accipiendis largitionibus, & ab acceptandis donis oblati, aut promissis, vt eorum prætextu, & intuitu multò remissionem, ac viliorē, quàm par est, imponant pensionem.

34. Nec item sub eisdem præcepto, & censura talē pensionē iniustam, ac nimis vilem imponere, aut aliquid aliud graue scietèr, & ex malicia cõtra euidentem vtilitatem Monasterij facere, seu fieri permittere præsumant.

35. Præcipimus secundò, vt noua additamenta pensionis antiquæ, non sint additamenta pecuniæ, sed frumenti, vini, olei, auium, aut cæterorum eiusmodi (si ex his aliquid antea soluebatur.)

36. Nec item frumentum, vinum, cæteraque venalia ab antiquo iam imposita, de nouo in pensionem pecuniæ commutentur.

37. Prætereà si de aliqua parte prædij noua fiat lustratio, & dimensio, præcipimus vt prius arbitretur, quantum pro rata ex antiqua pensione pars illa debeat soluere, conuocatis omnibus alijs, qui ex prædio illo aliquid soluant, ita vt non derur præiudicium Monasterij, aut tertij.

Deinde verò de augmento ipsius pensionis partialis, seu pro rata arbitrata tractetur.

38. Si denique Iustratio fiat agrorum, aut possessionum, quæ ex diuersis prædijs exeunt, ac separantur, expresse declaratur quantum pensionis antiquæ quantumque noui augmenti de vnoquoque agro, aut possessione in particulari pendendum est.

39. Quæ omnia prædictus Monachus diligenter aduertat, obseruet, nec parui pendat, vt multarum fraudum tollatur occasio, quæ in Monasterij potæa vergunt detrimentum.

40. Pensione tandem imposita, Monachus Iustrationem finiat, & concludat, Colono penam constituens quod Iustratio facta irrita sit, & ipso facto nulla, ipseque à suo Iure cadat, si infra mensem cotam Conguentu titulum non fecerit, omnesque subscribant.

§

### De Prædiorum Titulis faciendis.

41. **I**ustratione alicuius prædij, seu partis illius peracta Titulus fiat tempore prædicto, secundam notam ac formulam in fine harum Constitutionum appositam, quam Prælati & Notarijs faciant obseruari.

42. Inuigilent autem ne diu Tituli faciendi protrahantur. Vnde præcipimus quod Iustrationes factas singulis annis mense Nouembri Abbas, & Receptor renuant, Colonosque titulis carentes admoneant, & cogant vt infra tempus præfinitum illos conficiant, similiterque Emptores adhortentur, & vrgeant, ne Titulorum procrastinatio in Monasterij aliquando cedat nocuumentum.

43. Statuimus ergo vt Emphyteuses ab Abbate, & Cõuentu capitulariter aggregato concedantur, & ibidem dubijs emergentibus (Notario foras exeunte) capitulariter tractatis, atque discussis, ab omnibus tandem subfignentur.

44. Quod verò attinet ad condiciones emphyteuticas quæ de more solito in Titulis assignantur, statuimus, vt conditio seu quantitas Luctuose æqualis sit cum annua pensione, si tantidem iam antea soluebatur, alioquin cõsuetudo in alijs seruetur: Laudemium verò, siue dominium in legitimis casibus soluendum, ex quinque partibus pretij erit una.

45. Circa Assignaturas tandem consuetudo cuiusque Monasterij conseruetur.

46. Cæterum si alicui forsitan emphiteutæ titulus fiat cum facultate subemphiteuticandi, siue (vt aiunt) vt ad tituli sui faciem alijs Colonis secundarijs titulos etiam facere possit, præcipimus, vt huiusmodi insuper conditiones illi apponantur. *Primo*, vt prædicti tituli ad faciem alterius facti, nullius sint roboris, & vigoris, donec Abbas, & Conuentus auctoritatem illis adhibeant. Similiter quoque *Secundò* vt secundarij Coloni ad quascunque fecerint scripturas Monasterij a authoramentum obtineant alioquin scripturæ ipsæ nullæ sint, & irritæ. *Tersio*, vt ijdem secundarij Coloni teneantur seruitium Monasterio impendere cum bobus, & plaustro quoties fuerint requisiti. *Quarto*, vt dominia ad Monasterium b pertineant, etiam si primarius ille emphiteuta a secundarijs aliquid emat.

47. Quoad subscriptionem verò titulorum statuimus, vt priusquam Prælati, & Conuentus titulum aliquem subsignent eum cum lustratione facta Monachi duo cõparent, & coram Conuentu fidem faciant lustrationem, ac Titulum ipsum conformes esse, & coherere inter se, tum quoad proprietates, & possessiones nominatas, tum etiam quoad pensionem impostam, quod Prælati obseruare faciant sub pœna suspensionis semestris.

48. Præcipimus etiam Prælatis, vt in notis Scribæ nullum Titulum subscribant, quin prius transumptum illius in Archiuo asseruandum, ab ipso scribâ tradatur) quod similiter cum exemplari suo, sub eadem pœna prædictæ suspensionis comparetur) nec ipsi scribæ prius debita soluatur merces.

49. Huiusmodi autem transumpta, licet per se seorsim, ac separatim exarentur, plures tamen in vno consuuntur libro, vt Tituli in vnum collecti melius conseruentur, ac facilius inueniatur: Indice illorum in vnoquoque libro apposito.

50. Quoniam verò sæpe propter distantiam locorum, ac tenuitatem personarum, plures Monasterium adire nequeunt, vt in eo prædiorum titulos conficiant, permittimus, vt ex licentia Capituli Generalis in aliquibus locis longinquis ac remotis, possint extra Monasterium tituli aliquando fieri.

51. Statuimus autem, vt præhabita illa Capituli licentia  
Abbas

a Gama Decif. 244. n. 7.  
Cald. de Ren. q. 13.  
n. 14. & n. 47  
& Cald. de Ren. q. 13.  
num. 36.



Abbas, & Conuentus, Monachum, seu Monachos eligant expertos, ac mature ætatis quibus coram Cōuentu iuratis, per literas commissionales potestatem concedant titulos faciendi in locis illis remotis Colonis pauperioribus, aut legitime impeditis, cæteri verò in Monasterium omnino transmittantur, ne vniuersalis gratia pernitiōsa fiat possessio.

52. Priusquàm autem præfati Monachi prædictos Titulos subsignent, Visorias ad Conuentum transmittant, quibus in eo perlectis, si nullus appareat defectus, Conuentusque ita fieri iudicauerit, apponatur huiusmodi decretum: *Fuit lecta in Conuentu potest fieri Titulus.* Et subscribat Abbas cum Notario Cōuentus seu cum alio vice illius.

53. Præcipimus verò quòd Receptores, vel Procuratores Conuentuum ad emphyteuses in lōginquis partibus faciendas, auctoritatem Donationibus, Venditionibus, vel alijs similibus minimè tribuant, sed omnia huiusmodi auctoramenta in Conuentu fiant.

§.

### *De Consensibus Venditionum, Dotum, &c.*

54. **C**VM prædia in emphyteusim concessa, aliquando vacare cōtingat, & sæpe etiam ex consensu domini directi, vendi, donari, seu dotari soleant, hæc summam, circa singula statuimus.

55. Primò cum prædictus consensus ad vendendum, donandum, seu prædium aliquod diuidendum, aut cum alio emphyteuta permutandum à Monasterio requiritur, volumus vt ab Abbate, & Consiliarijs in simul congregatis, secundum maiorem suffragiorum partem præstetur: scriptura prius de verbo ad verbum perlecta, prudenteque consultatione præmissa.

56. Similiter etiam ( licet emphyteusim alicui concedere ad Conuentum plenum pertineat ) de renouatione tamen illius, ac titulo faciendo, prius in Consilio tractetur.

57. Si igitur scriptura aliqua Donationis præsentata, Consiliarij iudicauerint, auctoritatem illi esse adhibendam, forma consensus hæc erit.

*Ad-*

† *Authoritate nostra has donationis literas confirmamus, seruatis conditionibus tituli facti, dummodo donatio fraudulenta, dolosa, aut paliata non sit in preiudicium tertij seu Monasterij, alioquin prædicta authoritas ipso facto nulla, & irrita sit. Datis, &c. Subscribantque Abbas, & Consiliarij.*

† Ne autem Monasterium debito fortè fraudari contingat dominio, diligenter prius examinetur donatio, an sub donationis velamine, aliquam venditionis speciem subdole induat, ex qua dominium debeatur.

58. Si vero literæ Venditionis presententur, & Monasteriû bona illa venalia emere noluerit eodem quo venduntur pretio, \* infra tempus Iuris re ipsa soluendo, venditionemque presentatam, approbandam esse à Consiliarijs censeatur, forma cõsensus hæc erit.

\* Ordinatio Regia lib. 3. concedit 30. dies: sed C. Potius de locato cõcedit 2. menses.

† *Assentimur his literis Venditionis, emptoremque acceptamus, in vita solum que ei conuenit durante titulo facto, seruatisque conditionibus eiusdem tituli, dummodo non adsit preiudicium tertij, aut Monasterij, quo ad pensionem verò, & lucuosam, soluet pro rata, de dominio solutum est tantum, &c. subscribantque (vt supra.)*

59. Ne autem in pensionis rata postea arbitranda, aut soluenda dubia emergant, quando aliqua pars Cassalis venditur, afferat venditor seu emptor iustificatam, & arbitratam coram Iudice seu iuridice pensionem, que pro rata parti Cassalis venditæ conuenit, illaque expressè in literis consensus declaretur, *Soluet scilicet pro rata tantum, vel tantum iuridice arbitratum.*

60. Precipimus etiam, vt non adhibeatur authoritas venditioni, aut donationi mensurarum seu modiorum frumenti, vel cæterorum huiusmodi ex prædijs, agris, aut bonis alijs emphiteuticis soluendorum, quibus illa grauari solent: quod Prælati sub semestri suspensione seruare teneantur.

61. Si denique literæ Dotis offerantur, in hanc formam cõsensus præstetur. *Assentimur his literis dotis, acceptamusque solâ personam dotatam è cuius linea, & generatione dotata bona procedunt, in vita tantum que ei conuenit durante titulo facto, seruatisque conditionibus eiusdem tituli, &c.*

62. Statuimus præterea, vt multis prædiorum partitionibus consensus non detur, nisi oppositum Prouinciæ consuetudo obtineat.

63. Vacante denique possessione aliqua, nemini in scriptis consensus praebeatur, priusquam titulus fiat.

## §

*De Monumentis, seu Regesto Bonorum  
immobilium.*

64. **C**um facile temporis lapsu, rerumq; vicissitudine, possessiones cœnobiales amitti, & alienari possint, nisi in scriptis redactæ, diuturnæ memoriæ cōmendentur, statuimus, ut omnia, ac singula bona Monasteriorum Congregationis nostræ in Monumentis iuridicè confectis consignetur, & conscribatur.

65. Vnde obtento diplomate Regio à Reuerendissimo, inchoentur statim huiusmodi monumenta à Monasterio Saluatoris de Trauanqua, deindè sequantur cætera secundum indigentiam cuiusque.

66. Porro (si Capitulum generale aliud commodius non iudicauerit) ad huiusmodi operis expensas, dominia, lucuosas, & signaturas omnium Conuentuum applicamus, retenta solum tertia parte prædictarum rerum, pro Monasterio, ad quod de Iure pertinet, ut hoc fraterno, mutuoq; iuuamine opus citius finiatur.

67. Interim tamen duo Prælatos seriò admonemus. Vnum est quod diligenter Visorias, ac titulos possessionum Monasterij curent efficere, super quo conscientias eorum oneramus, semelque & iterum id ipsum iubemus.

68. Alterum quod interim præcipimus est, ut in singulis Monasterijs liber magnus fiat coriaceæ compactionis, qui sit veluti Monumenta, seu Regestum omnium bonorum, ac possessionum, cuiusque, omnesq; illius chartæ arithmeticè notentur, & in fine Secretarius Conuentus de numero illarum fidem faciat.

69. Porro in Monasterijs prædiuitibus, copiosusq; prædiatis, prædictum Regestum in duos, vel tres libros poterit diuidi secundum dioceses, aut alio meliori modo, ut illius vltus sit facilior, & expeditior:

70. Initio igitur huius libri, omnes primū, & singulæ Ecclesiæ patronatus Monasterij, Annexæ, seu filiales designentur, secundum Censuale, seu regestum Ordinariorum, ut quid iuris in singulis habeamus, nobis innotescat.

Admonemus autem, & præcipimus, vt Patronatus Ecclesiarum, quæ à nobis hætenùs non fuerunt presentatæ, ante vacationes illarum (iuxta formam sacri Concilij) coram Ordinario iustificentur.

✠ Designentur etiam in libro Regesti iura, vel iurisdictiones temporales, quibus Monasterium gaudet.

71. Deindè omnia, ac singula prædia secundùm territoria, atque secundùm parochias, in quibus fuerint sita exarentur: pensiones item quæ ex illis annuatim soluuntur: incrementa illarum, quæ decursu temporis fiunt: personæ quæ bona illa, seu partem illorum possident: vitæ prædictarum personarum summatim etiam notentur: venditiones, dotes, donationes, tituli facti, & cætera huiusmodi, ex quibus certò constet status prædiorum, pensionis quantitas, personaque soluens, ac possidens iuxta exemplar in fine harum Constitutionum appositum.

72. Præcipimus autem in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna semestris suspensionis quibuscunque Superioribus, vt nullam Scripturam venditionis, donationis, aut dotis, seu titulum de nouo factum subsignent, quin prius singula, quæ in præfato libro (iuxta prædicta) fuerint annotanda, memoriæ, & scriptis distinctè in eo mandentur. De quo an diligenter obseruetur, diligenter etiam in Visitationibus inquiratur.

73. Statuimus denique, vt prædicti Regesti duo in vnoquoque Monasterio exempla fiant, vnumque in Archiuo proprii Monasterij permanenter conseruetur, alterum in Archiuum Cõgregationis (de quo statim) transmittatur.

§.

### De Archiuo Monasterij, & Congregationis.

74. **V**T prædiales Monasteriorum possessiones, ceteraque tum ad spiritualia, tum ad temporalia pertinentia illæsa conseruari possint, statuimus vt omnes Scripturæ, Contractus, Priuilegia, Titulos, & Iura, quæ ad Conuentum pertinent, in Archiuo sollicitè asseruentur: vnde in singulis Monasterijs peculiariter fiant scrinia, armaria, siue capsæ, in quibus illa omnia tuto recondantur.

75. Claves Archiui tradet Abbas de consilio Consultorum Monacho maturæ ætatis (qui poterit esse Secretarius Conuentus, vel Consilij) seu alij, qui zelo, curiositate, caracterequè lectu facili polleat, iuramento autem fidelitatis astringatur ne scriptum quid ex Archiuo absque speciali licentia Prælati alicui personæ extraneæ, vel etiam Monacho dare, aut commodare præsumat, vel extrahi permittat: quod si secùs fecerit, iuxta qualitatem culpæ grauiter puniatur.

76. Archiuarium sic electum admonemus, vt omnia habeat rectè, & ordinatè disposita, & quæ ad eandem materiam pertinent in vnum, & eundem fasciculum colligata: vnde præcipimus quòd habeat Codicem, in quo per modum Indicis, & summarie conscribat omnia, quæ in archiuo sunt reposita, & de nouo reponuntur, notato etiam libro, scrinio, vel loco, in quo singula existunt, vt faciliùs inueniantur, alterquè Index sit in Deposito.

77. Præcipimus autem prædicto Archiuario, vt quoties ex licentia Prælati aliqua scriptura ab archiuo fuerit extrahenda, vt alicui tradatur, eam nemini tribuat, nec etiam Abbati, quin prius ipse accipiens, pignore dato in archiuo asseruando, & sub chirographo in quaternione eiusdem Archiui exarato fidem faciat, se talem, vel talem scripturam recepisse. Quod Archiuarius *sub virtute sanctæ Obedientiæ* obseruet. Scripturas autem sic extractas sedulò recuperare meminerit.

78. Præcipimus etiam, vt quæuis scripturæ vetustæ, & quæ literas iam habuerint fugientes, seu quæ vix legi possint, singulis triennijs authenticè reformatur, ne omninò pereant, quod Abbates Archiuo perscrutato ante Visitatorum visitationem sub bimestri suspensione obseruare teneantur.

79. Statuimus denique, vt liber mediocris quantitatis fiat qui sub potestate Archiuarij sit, *Dietarius nuncupetur*, & in duas partes diuidatur: in earumquè priori, Archiuarius ipse diligenter literis mandet præcipua, quæ à primis fundamentis Monasterij in eo acciderunt, & decursu temporis annis singulis euenierint, Abbates illius, & alia notatu digna. In posteriori verò parte scribat, ac recenscat vitas, & obitus Monachorum, qui in ipso Cœnobio decesserint, virtutum ornamenta, & exempla, gradus etiam, dignitates, & honores, quibus præfulserint, & cætera  
huius-

huiusmodi, vt memoria illorum sit in benedictione, & posteritati nostræ, futurisque temporibus consulamus.

80. Ordinamus autem vt singulis annis mense Nouembri à die omnium Fidelium Defunctorum, & deinceps legantur in Refectorio pausis solitis, Vita, & obitus Monachorum, prout in prædicto libro fuerint notati, vt fraterna eorum recordatio in generationem, & generationem reuiuifcat.

§ 81. Cæterum præter Archiua specialia singulorum Conuentuum statuimus, vt in Archicœnobio quod nimirum fuerit caput Ordinis, sit peculiare Archiuum Congregationis, cuius clauem tradat Reuerendissimus Monacho fideli, quem elegerit: in eoque afferentur primò Bullæ reformationis nostræ, priuilegia Ordinis, & indulta Apostolica, concessiones Regiæ, sententiæ latæ in fauorem Congregationis, & omnes aliæ Scripturæ boni commune illius respicientes, ac huiusmodi alia ad illam spectantia, quæ progressu temporis acciderint, & Archiuarius prædictus scriptis, ac memoriæ tradat.

82. Præcipimus autem Reuerendissimo, vt omnes literas, seu Constitutiones Apostolicas in forma etiam Breuis expeditas, quæ Religiosas personas quomodolibet attingentes de nouo emerferint, ad se statim à Romano procuratore transmitti iubeat, vt de omnibus decretis Pontificijs debita habeatur notitia, quæ postquam in singulis Monasterijs fuerint promulgata, in Archiuo tandem Congregationis afferentur.

83. In eodem denique Congregationis Archiuo reponantur exempla librorum Regesti cuiusque Monasterij (de quo supra.) Vnde expensis eiusdem Congregationis fiant plutei, siue armatia, in quibus hæc omnia recondi possint. Quoties verò in Regesto alicuius Cœnobij aliquid pensionis, seu aliquid aliud fuerit additum, aut de nouo appositum, Archiuarius prædicti Cœnobij trāssumptum illius additamenti ad Archiuarium Congregationis transmittat, qui illud notato loco, ac libro, diligenter scribat, vt exemplum cum exemplari cohareat.

84. Statuimus, vt Archiuarij tum Conuentus, tum Congregationis, quando officium suum reliquerint, per Indicem prius seu Inuentarium coram Abbate, aut Priore omnia ad Archiuum pertinentia tradant successoribus, actu traditionis ab omnibus sub-

*vita mona-  
chorum le-  
gatur.*

## CAPVT II.

## De Receptore seu Exactore Pensionum.

1. **C**VM munus colligendi, & exigendi annuas pensiones magne confidentie sit, virumque industriam, ac solertem requirat, ex quo utique commodum, vel detrimentum Monasterij maxime pendet, statuimus vt Abbas de consilio Consultorum eligat Monachum Sacerdotem ætatis maturitate, religione, zelo, ac fidelitate præstantem, qui ex munere recipiat, & exigat omnia vectigalia, pensiones, redditus, & proventus Monasterij.

2. Non poterit tamen eligi ad huiusmodi munus qui consanguinitate, vel affinitate Abbati fuerit coniunctus, nisi aliter fieri nequeat ob paucitatem Monachorum.

3. Vt autem Receptor omnia liquidò possit exigere, debitaque consecrari, statuimus quòd duos tantum habeat libros, vnus dicatur Liber vetus alter Liber nouus.

† In Libro veteri colligat, & transcribat Receptor singulis annis ex libris præteritis omnes Debitiones veteres, sub titulis singulorum Cassalium, secundum Diæceses, & Parochias in quibus fuerint sita, annotatis personis quæ debent, quantum, & quid debent, ex quibus rebus, & ex quo, vel quibus annis. Quando verò Coloni huiusmodi Debitiones veteres soluerint, in Prædicto libro apponant hanc notatiunculam. Pg.

† Librum verò nouum ( in quo scilicet recepturus est pensiones tantum anni præsentis ) ordine sequenti, singulis etiam annis de nouo conficiat, non secundum librum anni transacti ( ne forè pensionum incrementa conscribere prætermittat ) sed secundum monimenta Regestumvè prædiorum, seu Cassalium Monasterij.

4. Ordo igitur, libri hic erit. Singula *primò* prædia, & partes illorum, ex quibus specialis aliqua pensio soluitur, per titulos distinctos scribat secundum Parochias in quibus ipsa prædia fuerint sita, non autem secundum loca in quibus Emphyteuta habitauerint, incipiens à Parochia Monasterij.

5. Dein

5. Deinde quouis prædio assignato, pensionem quæ ex illo soluitur à dextris delineet, quantum scilicet pecuniæ, quantum tritici, & cæterorum huiusmodi: à sinistris verò emphyteutæ nomen scribat, & quota vita sit, prima ne, secunda, an tertia, nulliusque nomen à prædicto libro deleat (quãtumuis ille obierit) quin prius successor Monasterium tanquam directum dominum recognoscat, & Luctuosam soluat: Tunc enim successoris ipsius nomen loco defuncti, non nisi coram Depositarijs substituat, defuncti nomen delens.

6. Tertiò tandem finitis omnium prædiorum titulis, alios separatim apponat frumenti, vini, & olei ex domestica agricultura collecti: frumentum, etiam, & vinum quod ab ipso Receptore emitur. Similiter etiam titulum pensionum sub quibus aliqua forè molæ frumentariæ, vel aliæ fuerint locatæ, & maquia domesticarum.

† Hoc igitur libro sic confecto, & ordinato vtatur Receptor ad cuncta prædicta præsentis anni recipienda, & sub suis quæque titulis consignet.

7. Circa ipsam verò receptionem, modumque recipiendæ hæc statuimus, ac præcipimus. In primis pretia rerum, de quibus infra, \* ex libro depositi initio sui libri transcribat vt iuxta illa venalia vendat, & pensiones quæ numerata pecunia solvuntur recipiat. Caueat autem maximè ne maiori, & altiori pretio quàm à Consiliarijs statutum est, vendat, aut pensiones debitas temere recipiat, alioquin in furantium pœnas ipso facto incidat & ab officio priuetur.

8. Statuimus deinde, vt non prius nouam, quàm veterem pensionem accipiat.

† Siquis tamen alicuius anni præteriti debitor, frumentum, vel quiduis aliud in Monasterium portauerit, permitimus vt illud ad pecuniam redigatur secundum pretium tunc temporis currens, accipiaturque ac si pecunia foret in solutionem pensionis veteris, habito respectu ad pretium illius anni ex quo pensio ipsa debetur, cum iuxta illud soluenda sit.

9. Præcipimus etiam in virtute sanctæ Obedientiæ tum Receptori, tum alij cuiuscumque Monacho ne ad nundinas eant, vt in eis publice, medijs vè nundinantium turbis pensiones à Colonis exigant, aut recipiant.



10. Sub eodem quoque *praecepto virtutis sanctae Obedientiae* mandamus vt quoties Receptor pensionem receperit, Emphyteutam soluisse notet non in schedis, aut frustulis papyraceis, sed in proprio libro receptionis suae, illique soluenti apocham tribuat, expressè ac distinctè explicans nomen ipsius Emphyteute, nomen etiam praedij, seu proprietatis ex qua soluitur; quantumque recepit, & ex quo anno pensio est: non faciat autem mentionem diei, mensis, & anni in quo pensionem recipit.

7 Quòd si pensio non soluatnr integre, schedam solutionis tribuat explicans se tale, vel tale quid partiale recepisse, in rationibus, & pensione postea integrandis computandum. Quòd si Receptor in praedictis seruandis negligens inuentus fuerit, regulari disciplinae tanquam inobediens subiaceat.

11. Ad pecuniam verò recipiendam habebit Receptor arculam cum paruo orificio à parte superiori, duplicique clauemunitam (vna sub potestate illius erit, altera in Deposito) in eamque injiciet omnem quae receperit pecuniam, tum ex pensionibus, tum ex rebus veditis; duobus tantum, vel tribus aureis ad commutationes faciendas, apud se retentis, eamque cum Abbas praecerit, omnem prorsus Deposito tradat, alioquin proprietarius censeatur, & poenis illius plectatur.

12. Statuimus denique, vt quicumq; Monachus qui absente Receptore, pensiones vice illius receperit, eo adueniente catalogum pecuniae à Colonis solutae (quam illi numeratam tradet) aliarumq; pensionum receptorum in libro Receptoris exarari, seu consignari conspiciat, quod *in virtute sanctae Obedientiae obseruet.*

7 Seruet etiam omnia praedicta, perinde ac si Receptor foret, excepto quòd in libro Receptoris nullatenus scribat.

13. Huiusmodi autem Receptoris substituti quo ad fieri possit, euentur, cum non plures possat manus hoc recipiendi opus.

14. Qua propter statuimus vt nullatenus Receptores in noxia consuetudine, ac veluti possessione Colonos constituent, ostiatim scilicet pensiones ab eisquerendo, sed perfideles ministros literis etiam monitorijs eos ad soluendum, & pensiones ad Monasterium deferendas, iuxta Titulorum conditionem poenasque in illis impositas cogant.

15. Quod si fortè aliud in singulari aliquo Monasterio opus sit, in Capitulo generali, vel Visitationibus tractetur, & quid fieri deceat prudenter decernatur.

Antiquæ autem consuetudines aliquæ, sicut in Monasterio Saluatoris de Traunca prandium Ecclesiæ Saluatoris de Real, & huiusmodi aliæ, ne omnino pereant, conferuentur.

16. Porro vt ex omnibus receptis Receptor se se exoneret, ac rationes reddat, statuimus vt omnem pecuniam quæ ex pensionibus, & ex rebus venditis receperit, immediatè non expendat, sed ex arcula prædicta Deposito tradat; ex alijs verò consumptibilibus, ex frumento scilicèt, vino, oleo, auibus, carne suilla, & ex cæteris omnibus receptis necessaria ac meliora queque in sumptus, & penu Conuentus referuet, tradatque Celerario; deteriora verò, ac residua vendat.

18. Vnde præcipimus quòd præter librum Receptionis habeat etiam alterum Exoneratorium, in quo sub Titulis distinctis, ac separatis referat singula quæ in expensas Conuentus ac Monasterij tradiderit: Celerarius verò quidquid sic receperit ibidem subsignet, vt postea rationes reddat (de quo infra.)

19. Elemosynas autem frumenti immediatè à Receptore impertitas ex iussione Abbatis, Abbas ipse vice pauperis, seu potius Christi recipientis subsignet, alioquin ad rationes reddendas in Visitationibus minimè computentur, & Receptor ipse puniatur.

20. Vltimò tandem quoniam saepe contingit bona Monasterij sine titulo possideri, Colonosque ex vi tantum literarum Dotis, aut aliarum similia multis annorum curriculum, prædijs & agris Emphyteuticis frui, vnde tandem tractu temporis plures Emphyteuses temporariæ, & vitales, in perpetuas trãseunt, statuimus, & districtè præcipimus, tum Abbatibus, tum etiam Receptoribus, vt non solum de pensionibus annuis recuperandis solliciti sint, sed eadem quoque sollicitudine possessores Titulo carètes diligenter, & industriè singulis annis ex instituto circumquirant, & inuestigēt, quosque vacates Titulo inuenerint, ad facturam illius in iudicium etiam vocatos (si opus fuerit) cogant, & urgeant.

21. Quòd si Abbates, & Receptores in prædictis culpabiles, & incuriosi inuenti fuerint, pensionibus solum trienni sui con-

consulentes, de bonis verò Religionis in futurum, augmentoque & conseruatione illorum, debitionibusq; antiquis non curantes secundùm proportionem culpæ, absque remissione puniantur suspensione ab officijs suis ad arbitrium Visitantium.

## CAPVT III.

*De Depositarijs Conuentus.*

**S**Tatuimus vt in singulis Monasterijs Congregationis nostræ in loco tuto, ac firmo arca Depositi sit trina clauæ clausa in quam vniuersa Conuentus pecunia inferatur, & asseruetur.

2. Duos autem Depositarios, seu Clauigeros, qui Monachi sint fideles, & in ratione supputandi experti, de consilio Consultorum eligat Abbas, quibus duas clauæ Depositi tradat, tertiã ipse retineat, vt nonnisi ab illis simul congregatis prædicta arca aperiatut.

3. Porro huiusmodi clauæ dissimiles sint inter se, ac diuersis incisuris fabrefactæ, easque Depositarij sollicitè custodiant. Cùmque aliquis illorum à Monasterio exierit, clauem suam nec Socio committat, nec Abbati, sed alteri Monacho, quem Abbas designauerit. Abbas verò ipse si à Cœnobio egrediens eadem die non sit reuersurus, Priori suam relinquat.

4. Ordinamus autem, & præcipimus, vt omnis pecunia ad Depositum spectans à Depositarijs insimul congregatis, cùm aduenerit numeretur, & in arcam prædictam inferatur, nullatenusque extra illam asseruetur. Depositarij verò quantitatem illius in libro suo notent, atque cum Abbate subsignent.

Quòd si Abbas aliter in his fieri permiserit, aut præceperit, per duos menses suspendatur.

5. Depositarij quoque pecuniam locationum Ecclesiarum à conductoribus soluendam immediatè recipiant, illisque apocham tribuant ab ipsis, & Abbate subsignatam.

6. Statuimusque vt in Deposito triplex sit liber; vnus qui liber Depositi simpliciter nuncupetur, alter Dominiorum, tertius Quindennij,

7. Quod attinet ad primum, liber ille Depositi singulis annis de nouo fiat, & diuersis titulis ordine sequenti distinguatur. *In primis* duo prima, vel tria folia illiterata, seu alba remaneant, vt in eis frumenti, & vini, aliarumque rerum recipiendarum, atque venalium pretia describantur.

8. Præcipimus enim vt Abbas, & Consiliarij inſimul congregati tempore solito prædictarum rerum pretia taxent, quo præſinito, Depositarij in prædictis paginis albis illud ſingulatim ſcriptis referant.

9. In impoſitione autem huiusmodi pretij, vt omnis ſcandali, iniuſtitiaque ratio præſcindatur, ſummum, ac rigoroſum pretium, attentis circumſtantijs temporis, & anni Abbas, & Conſultores non excedant, ſed æquitatem ſemper ſeruare procurent.

10. *Secundò*, poſt illa duo, vel tria folia alba ſequatur ſtatim Index omnium titularum, qui in prædicto libro ſeorſim fuerint deſcripti, vt facilè qualiscunque inueniatur cum aliquid fuerit recipiendum.

11. *Tertiò*, prædicto Indice finito, apponatur numerus omnium Eccleſiarum, ex quibus Monasterium fructus recipit; *Deinde* ſumma omnium vectigalium, & penſionum, quæ Monasterio quotannis ſoluuntur, ſumma ſcilicèt pecuniæ, ſumma tritici frumenti ſecundarij, vini, cæterarumque omnium rerum annuo, certo, ſcitoque cenſu ſoluendarum.

12. *Quartò* ſequantur ſtatim Eccleſiarum tituli ſigillatim diſtincti ſub quibus locationes fructuum ſcribantur, *Locata*, ſcilicèt, *eſt talis vel talis Eccleſia, tali anno, tali perſone, tali pretio, talibusque pitantijs*. Atque inter ſingulos titulos folia medient alba, vt ſolutiones pecuniæ in eis exarentur.

13. Finitis Eccleſijs, ponatur titulus hic. *Debitiones veteres, que reſtant ſoluende uſque ad tale, vel tale tempus*. Sub quo omnia illa antiqua debita, quæ Receptor receperit, ac Deposito tradiderit, deſcribentur non ſecundum ſubſtantiam ipſarum rerum, ſed ſecundum pecuniam ad quam fuerint redacta, prout in Viſitationibus fieri ſolet.

14. *Quintò*, ponantur tituli vectigalium, & penſionum, quæ annuatim Monasterio pendere ſolenne eſt, vt ſ. b ſingulis deſcribatur, quidquid Depositi a Receptore recipiendo receperit:

perit : paginis albis , prout fuerit opus interiectis. *Primus* titulus erit pecuniæ : *Secundus* tritici, *Tertius* secalis , siue centeni, *Quartus* milij , hordei postea, vini, carnis porcinae, arietum, hedorum, auium, & omnium aliarum rerum.

15. Porrò singula hæc, quæ fuerint recepta , ita sub prædictis titulis exarentur, vt duæ margines à dextris scilicèt , & à sinistris relinquuntur ; in priorique arithmeticae notulis assignetur numerus modiorum frumenti, vel quantitas cæterarum rerum, quæ traduntur Deposito. In altera verò margine assignetur pretium illarum, seu summa pecuniæ, quæ illis correspondet; nam secundum priorem marginem rerum rationes reddit Receptor in Visitationibus, eorum quæ Deposito tradidit, secundum alteram verò marginem pecuniæ, rationes reddunt Depositarij eorum, quæ receperunt.

16. Vltimò tandem apponantur duo alij tituli distincti, *Extraordinaria*, scilicèt, & *Pecunia mutuata*.

17. Post prædicta quibus Deposito accipiendo oneratur, ponantur tituli datarum, quibus se se exonerat nimirum, *Data Expensori*, *Data Sacristæ*, *Data pro operibus extruendis*. *Solutio denique pecunie mutuata*.

18. Omnis igitur pecunia tum quando recipitur, tum etiam quando datur, in hoc libro sub suis titulis ab vno ex Depositarijs exaretur, illis qui eam receperint, ibidem subsignantibus. Vndè etiam præcipimus quòd nulla pecunia mutuata mortua (vt aiunt) recipiatur, aut soluatur, sed tum receptio, tum solutio sub proprijs titulis exaretur, & scriptis semper viuat.

¶ 19. Ordinamus præterea, & decernimus, vt præter librum Depositi, de quo hætenus, sit etiam alter in quo peculiariter recipiantur Dominia, Lucuosa, & Signaturæ sub titulis distinctis, explicatis personis à quibus Dominia, Signaturæ, & Lucuosa recipiuntur, ex qua Parochia, ex quo Agro, vel Prædio, quantitateque pecuniæ receptæ, & quantitate quæ remittitur.

† Permittimus autem, vt ex Dominijs, & alijs, attentis circumstantijs, conditione, qualitateque personæ aliquantulum ab Abbate, & Conuentu remitti possit.

¶ 20. Cæterum præter duos libros prædictos statuimus, vt in Deposito detur alter codex Quindennij, in quo scriptis, ac memoriae proditum sit, quantum pecuniæ singulis annis pro

rata pendendum est ad Quindennium Monasterij, seu aliarum Ecclesiarum illius.

21. Præcipimus autem *in virtute sanctæ Obedientiæ*, & sub pœna priuationis vocis actiue, & passiuæ in Capitulo generali omnibus, ac singulis Abbatibus, vt prædictam pecuniæ summam pro rata cuiusque triennij in Capsulam duplici clauē clausam iniiciant, nihilque pecuniæ sic iniectæ *sub prædictis præcepto*, ac pœna, ab ea promere præsumant, præterquam ad Quindennij solutionem.

22. Vt autem Deposita à prædicta pecunia se exoneret, statuimus vt Depositarij eam Expensori tradant, illeque eam subsignet sub titulo Dati, & in prædictam arculam coram Depositarijs immittat, atque in suo libro expensæ hæc apponat verba, *Tantum, vel tantum pecunie iniectum est in capsulam Quindennij*. Tempore verò, quò aliquod Quindennium actu soluitur, apponant Depositarij in prædicto Codice hanc notatiunculam, *Tali die, talis mensis, & anni solutum est Quindennium talis, vel talis Ecclesiæ, seu Monasterij*, & subsignet.

Apocham verò ipsius Quindennij soluti procuret Abbas à Recipiente, eamque cum alijs diligenter intra prædictam arculam seruet. Ex duabus autem clauibus illius vnā habeat Abbas, alteram Depositarius antiquior.

23. Præcipimus vt Depositarij cum Abbate simul singulis Sabbatis rationes exigant ab Exensore pecuniæ totius accepti, & expensæ modo, quo infra capite 4. singulisque mensibus ab ipso Cellerario de ijs, quæ à Receptore accipit, & per singulos menses consumpsit.

24. Præter has autem partiales rationes, generales etiam singulis annis accipiantur, Kalendisque Ianuarij legantur coram Conuentu (prout in libro Ceremoniarum habetur.)

25. Statuimus denique, vt quoties Depositarij officium suum reliquerint, & alij de nouo fuerint electi, actus traditionis, & acceptationis fiat, omnem pecuniam, quæ in Deposito fuerit numerando, ipsaque traditio in eodem libro Depositi scriptis mandetur, & ab omnibus subscribatur.

## CAPVT III.

## De Cellerario Monasterij.

1. **S**Tatuimus, vt in singulis Monasterijs, Abbz de Consilio Consultorum Cellerarium eligat, qui qualitatibus habeat à sancta a Regula assignatas, *omnique Conuentui sit sicut Pater.* 4 Cap. 316

2. Munus illius erit totius rei familiaris curam gerere, hortos, vineas, agros, & huiusmodi alia temporibus opportunis colere, famulos regere, & ea quæ ad victum pertinet, procurare. Vnde cellam penariam habebit, in qua omnia victualia, maiora saltèm quæque recondat, atque conseruet.

3. In Monasterijs maioribus, iuxta sanctam Regulam *solatia ei dentur*, proindeque vnum, vel alterum Fratrem Laicum habeat, qui cum coadiuet in ijs quæ ad coquinam pertinent, & qui operarijs, vel agriculturæ prout fuerit opus assistat.

4. Cura item illius erit Monachos prouidere de rebus minoris pretij ad vsum necessarijs, cum ex mandato sanctæ Regule *graphium etiam, & aris, tabulam, seu papyrus, & alia huiusmodi illis sint tribuenda, vt omnis auferatur necessitatis excusatio*, & proprietatis vitium radicibus amputetur. 6 Cap. 552

5. Ad munus Cellerarij etiam spectat omnem pecuniam expendendam à Depositarijs immediatè accipere: pro quo *Librum* habeat *Expensi*, in eoque per singulos menses ac dies minutatim exaret omnia ac singula, quæ emerit, aut soluerit, atque in margine dextra libri è regione scripti arithmetice notet summam pecuniæ expensæ, in margine verò sinistra nomen ipsius rei emptæ, aut solutæ nomen apponat; vt facile sciri queat in Rationibus generalibus, quantum in quolibet genere rerum singulis annis, aut triennijs sit expensum.

6. Præcipimus autem *in virtute sanctæ Obedientiæ*, vt omnia in prædicto libro, tum quoad res, tum quoad pretia verè, ac fideliter exarentur, nec Abbas aliter fieri permittat, aut præcipiat, alioquin per duos menses, vel plures iuxta grauitatè culpæ suspendatur.

7. Statuimus vt in singulis hebdomadis Cellerarius rationes reddat totius accepti, & expensi coram Abbate, ac Depositarijs. Harum verò rationum modus hic erit.

8. Legantur à Depositario iuniore, altero simul inspiciente omnia, quæ ab vltimis rationibus in libro expensi fuerint consignata: deinde omnis pecunia diuisim expensa in summam simul redigatur, & cū accepta cōparetur, residuoq; detracto, rationes certò tandem initæ in prædicto libro Cellerarij scriptis in hunc modum mandentur.

† *Tale die, talis mensis, &c. rationes exigentes à Cellerario, inuenimus eum accepisse cum residuo rationum præteritarum tantæ pecunie, expendisse tantum, remanereque tantum residui rationibus adhuc referendum.* Abbasque ac Depositarij subscribant, & in margine sinistra eiusdem libri summam accepti, & expensi, & residui Arithmeticè notent: Ad marginem verò libri Depositi infra vltimam datam apponat verbum hoc (*Rationes.*) Vt ex inde subsequentes, hebdomada sequenti incipiant.

9. Statuimus præterea, vt Cellerarius habeat alterum librū, qui dicatur *Liber Cellæ penaria*, in eoquè sub titulis distinctis conscribat omnes modios farinæ triticeæ, & secundariæ, qui per singulos menses fuerint expensi; sub titulis etiam vini, ac olei diem notet, in quo singula vini dolia, aut certæ mensuræ olei exhauriri, & expendi cæperint, & alia huiusmodi; atque de his omnibus per singulos menses Abbati, ac Depositarijs rationes reddat.

10. Statuimus etiam, vt Cellerarius habeat alterum librum tertium qui *Liber Officinarum* dicatur, & in quo sub Titulis separatis, literis mandentur omnia quæ ad Refectorium, Coquinam, Valitudinarium, Hospitium, & ad cæteras Monasterij Officinas spectauerint, aut de nouo fuerint addita: Atque secundū hunc librum Officialibus, & ministris qui nouiter ingrediuntur fiat traditio, ipsis ibidem cuncta, quæ acceperint subsignantibus, vt ea successoribus similiter postea tradant.

11. Quartū denique codicem habeat Cellerarius, qui *Liber salariorum* seu stipendiorum nuncupetur, in eoque sint annotata salaria ministrorum, atque seruietiū Monasterij, Medici, nempe, Tonsoris, & aliorum omnium: ibique subsignent singuli cuncta quæ receperint.



12. Vltimò tandem statuimus, vt specialem curam habeat Cellerarius de honestate vitæ famulorum, eosque diebus Dominicis per se, vel per alium doceat cuncta quæ Christianum virum scire decet, elementa scilicet Doctrinæ Christianæ, modum Confitendi, modum ministrandi Altaris Sacrificio, & alia huiusmodi, ipsosque obliget vt diebus solemnioribus ad Sacramentum Pænitentiaæ accedant, & sacram Eucharistiam sumant: In die scilicet, *Natiuitatis Domini, & Resurrectionis, in die Pentecostes, & Assumptionis Deiparæ Virginis, in die omnium Sanctorum, & in Festis Beatissimi Patris Benedicti*, quòd si illi implere renuerint à Monasterio expellantur: si autem Cellerarius in prædictis negligens fuerit, grauiter in Visitationibus reprehendatur, & puniatur.

13. Eademq; seruire teneatur Sacrista, si aliqui fortè dentur adolescentuli Sacristiæ seruietes. Hi tamen singulis mensibus ad Sacramentum Pænitentiaæ, & Eucharistiaæ accedant.

§.

### De Dispensatore.

14. **D**ispensator Monachus erit subordinatus Cellerario, & coadiutor illius in ijs præcipuè quæ ad coquinam, & Cellam penariam pertinent.

15. Ad munus illius, spectat cibum Conuentus immediatè præparari facere, coquum monere, & affectu Charitatis coadiuare, vt omnia quæ ad victum Monachorum spectant, bene, & mundè condiantur, & pro horis solitis sint præparata, eaque diligenter secundum dispositionem Cellerarij ministrare.

16. A Cellerario singulis hebdomadis recipiet quæ in ea expendenda sunt, panem, carnem, piscem, & huiusmodi alia.

17. Vt autem omnia in Domo Dei in numero, pondere, & mensura fiant, habebit memoriale, seu libellum, in quo scribat ea, quæ expenderit ex receptis à Cellerario, illique rationes reddet.

## CAPVT V.

De Cæteris Officialibus, & Officinis  
Monasterij.

**C**VM præter Officiales, ac ministros Monasterij de quibus hætenus, necessarij sint etiam alij ad complementum seruitij illius, qui nimirum curam gerant Hospitij, Valetudinarij, Vestiarij, Refectorij, Bibliothecæ, atque Ostij Monasterij, statuimus vt omnes hos Abbas prudenter eligat, & coram Congregatu designet. Hæc autem circa singulos ordinamus.

§.

## De Vestiario Monasterij.

**1.** **P**rimò quod attinet ad vestiariū, statuimus, vt Monachus qui Vestiarius fuerit electus, librum habeat diuersis titulis distinctum, sub quibus diuersa pannorum genera siue lanæ, siue lineæ recipiat, & expendat.

**2.** Modus receptionis hic erit. Cùm Cellerarius, vel quilibet alius Monachus aliquid panni emerit, Vestiario statim tradet, sub titulo accepti in prædicto libro traditionis actum in hunc modum exarans.

*¶ Tali die, talis mensis, & anni tradidi Vestiario tantum, vel tantum, talis, vel talis panni, tali pretio empti vt constat ex tali, vel tali pagina libri expensionis.* Ipse autem Vestiarius subsignet.

**3.** Cùm verò aliquid fuerit expensum Vestiarius ipse sub Titulis expensi eiusdem libri scriptis referat.

*¶ Tali die, talis mensis, & anni tantum talis panni expensum est, in tali, vel tali opere.*

**4.** Statuimus vt ter in anno Vestiarius rationem reddat accepti, & expensi coram Abbate, ac Depositarijs. *Primò* vltima mensis Aprilis die; *Secundò* vltima Augusti, *Tertiò* vltima Decembris.

5. Præcipimus Vestiario, vt omnia fideliter expendat, omniaque indumenta monasticè, & vniiformiter fieri procuret, nihil omninò quod curiositatem sapiat sæcularem fieri permittès, aut contra leges faciens, alioquin officio priuetur.

6. Indumenta refarcienda Vestiario tradantur, qui ea refarcire iubeat: noua verò cum benedictione Abbatis fiant, cunctaque Communitatis expensis. Vnde nihil in peculiari Monachi cellula sartor, aut sarcinator efficiat, sed omnia per manus Vestiarij transeant, & in deputata fiant officina.

Cætera quæ ad Vestiarium, seu Vestes Monachorum spectant sequenti libro tradentur.

## §

*De Infirmario, ac Valetudinario  
Monasterij.*

7. **C**Um ex præscripto sanctæ Regulæ Abbates circa infirmos valdè sollicitos esse oporteat, statuimus vt Monachum eligant, qui diligenter, & patienter, lataque charitatis facie Infirmorum sanitati consulat, eisque omnia necessaria subministret, & Medicorum iussa exequatur, cum omni auctoritate, & imperio.

Cap. 371

8. Præcipimus autem quòd nemo in Monasterio prædicta Medicorum iussa, impedire, prohibere, immutare, aut oppositum præcipere audeat, sed omnia cum inferioribus Ministri, tum etiam Abbas sollicitudine charitatis adimplere studeant, alioquin (vt infra) suspendantur.

9. Ad munus Infirmarij spectat habere curam de omnibus, quæ ad infirmorum, vel infirmos pertinent, omnia quippè ei tradi præcipimus, vt cuncta sub clauè custodiat, & de omnibus rationem reddat. Quòd si plures fuerint infirmi, detur ei coadiutor vnus, vel plures, prout fuerit opus.

10. In singulis autem Monasterijs Valetudinarium pro Infirmis curandis deputetur, in quo iuxta Monachorum numerum sint aliqua lectisternia decenter, ac religiose ornata, omniaque alia ad vsum, ac seruitium Infirmorum necessaria, tum lanea, tum lineæ, sindones videlicet, culcitæ laneæ, ceruicalia, capitis opercula, linteæ, atque mappas, cochlearia argentea, vasa quoque

ficilia, & vitrea, quæ infirmis tantum sint vsui. Patinam etiam stanneam, & scutellas, nec non ligaturas lineas ad venarum scissionses, clisterumque instrumenta, sublimatorium denique ad flores, & herbas medicinales stillandas, quas Infirmarius tempore suo stillare curet, aliasque colligere, & in medicina seruare.

11. Præcipimus insuper circa prouisionem Valetudinarij, vt ultra prædicta sint in eo aquæ stillatitiæ, aqua scilicet Rosacea, aqua Naphæ, siue (vt aiunt) floris, & alia; oleum, & acetum rosaceum, & saccharum, vix passæ, pruna arida, amigdala, cydonites, saccharum rosaceum, & alia huiusmodi dulcia; quæ omnia Infirmarius à Cellerario procuret, & fideliter seruet.

12. Prælati autem, qui Valetudinarium prædicto modo non habuerint prouisum per tres menses absque vlla remissione suspendantur. Omnesque sub eadem pœna Medicum, ac Venarum sectorem sub salario habeant conductos, requisito prius consilio, & assensu Consultorum. Pharmacopola quoque (quoad fieri possit) Hebræi sanguinis macula careat.

13. Cùm ergo Monachorum aliquis ægrotauerit, in Valetudinarium cum benedictione Abbatis se se recipiat, & de curatione illius sollicitè, ac diligentè tractetur, necessariaque ita ei ministrentur, vt nec sæculi delicias, nec consanguineorum affectum desideret.

14. Porrò, si Infirmus non omnia pro votis habeat æquanimitè toleret, recolatque sæpè se Monachum esse, & quod infirmitas corporis, mentis sobrietas est, ac virtutum officina.

† Præcipimus vt Infirmi nequaquam sine scapulari breui in lecto cubent, idque Infirmarius specialiter aduertat.

15. Prohibemus nè Monachi in sæcularium domibus, aut etiam Parentum curentur. Nullus autem balnea poterit adire absque licentia Reuerendissimi.

16. Prælatos admonemus, vt quotidie ægros visitent, & omnem humanitatem eis exhibentes, eos ad patientiam cohortentur, non aliterque, ac Patres filiorum, illorum curam gerant, & de necessarijs prouideant.

17. Super omnia autem vt Sacramenta Ecclesiæ suo tempore eis conferantur procurent; Infirmorum verò nullus tertio venam sciudat, quin prius Sacramentali Confessione conscientiam

tiam exoneret, & cætera Sacramenta postulet.

18. Monachi verò charitatiuè Infirmos lecto decumbentes visiteut, & consolentur extra tempus summi silentij, in eo enim huiusmodi visitationes, sicùt alios cellularum ingressus prohibemus, nisi Prælati licentia adsit, vel Infirmi necessitas.

19. Caueant autem Monachi nè graues sint consolatores, sublata voce, & coaceruatim, seu aggregatim loquentes, vel alio quouis modo Infirmo molestiam, & Conuentui inquietudinem afferentes; alioquin corripiantur.

20. Quòd si Infirmus in cellula Dormitorij curetur, præcipimus, vt regularitèr Monachorù tantùm ternarius infirmo simul adesse queat, eum visitandi gratia. Si plures tamen fuerint necessarij ad consolationem Infirmi, vel ad ministerium aliquod exequendum, ingressum non prohibemus.

21. Statuimus denique vt Prælati, qui fortè circa curam infirmorum negligentes fuerint, miseri, aut parùm charitatiui per tres menses suspendantur; per sex verò si illorum culpa Monachus aliquis absque aliquo Sacramento decedat; quas pœnas Reuerendissimas, ac Visitatores infallibiliter exequantur, nullamque paupertatis, vel indigentia, aut aliam similem excusationem admittant in procuranda infirmorum salute, cæterisque ad eorum solatium necessarijs.

22. Præcipimus insuper circa eos, qui ex morbo conualuerint, vt benignè, & indulgenter tractentur, melioribusque cibis reficiantur quousque perfectè conualescant.

23. Vltimò tandem, licet infirmis Fratribus omne obsequium necessarium seriò velimus impertiri, & impendi, nihilque deesse quod illorum saluti expediat, & conducatur, quamuis ob remedia applicanda opus esset magna debita contrahere, vel etiam bona Conuentus distrahere, & vendere, quando aliter medicari non possent; Monachos tamen omnes exhortamur in Domino, vt viriliter suæ professionis propositum adimplere contendant, & nec leuium indispositionum cura, nimioquè sanitatis appetitu, corpori sæpè animæ sub specie necessitatis insidiant, nimium indulgeant ægrotorum sibi nomen acquirentes; nec qualiscunque ægrotudinis prætextu Ecclesiastica quoque præcepta circa carniem esum, vel ieiunium facillè violare præsumant.

§.

## De Senibus, ac Defunctis.

Cap. 38.

24. **Q**uoniam Sanctissimus Patriarcha senum, & infantium in sancta Regula specialiter meminit, eorum quoque in his Constitutionibus specialiter meminisse decet.

25. Statuimus ergo, ut Monachi qui quadragesimum Religionis annum, ætatisque sexagesimum expleuerint, Chorum frequentare Horis nocturnis non teneantur, & à ieiuniorum rigore, aliquibusq; aëibus onerosis releuentur, atque (prout opus fuerit) socius eis detur, qui illorum cellulam mundet, lectum sternat, in alijsque necessarijs filiali amore seruiat.

26. Prælatos etiam, & Officiales admonemus, ut de corporalibus indigentijs illorum specialiter curam habeant, eosq; speciali favore prosequantur; æquum est enim, ut qui tot annis in vinea Domini pondus diei, & æstus portarunt, aliquantulum tandem requiescant, & indulgentius tractentur, illi præsertim, qui senio iam succumbunt, quosque senectutis accidentia, atque molestiæ circumstant.

27. Cùm autem senibus labores corporis sint minuendi, exercitationes autem animi augenda, ipsos admonemus, & exhortamur in Domino, ut exercitijs spiritualibus Lectiois, & Orationis frequentius incumbant, deuotius se Deo commendent, delicta iuuentutis, & ignorantias adolescentiæ lacrymosius diluant, Iunioribus exemplam præbeant, ea quæ potuerint hilariter agant, ac de possibilitate Deo grates reddant, neque Privilegij prætextu (si alias vires suppetunt) se excusent.

Ultimò tandem à rebus transitorijs se se expediant, & ad rationes Deo reddendas seriò se præparent, atque si ante senectutem curarunt ut benè viuerent, in senectute iam curent, ut benè moriantur, mortem singulis diebus expectantes; *Senibus quippè mors est in ianuis, iuuenibus autem in insidijs.*

Bernard.

§.

¶ 28. Porro si infirmorum seu Monachorum aliquis obierit, suffragia pro illo fiant prout infra libr. 3. Constitut. 1. decernimus.

¶ 29. Cum autem Religiosi eligere nequeant sepulturam, & apud Monasteria sua sint tumulandi, statuimus vt Monachi subditi in aliquo latere Claustrii sepeliantur, & ad caput cuiusq; in paruo quodam lapide proprium nomen illius, annus, mensis, & dies obitus insculptatur.

<sup>a</sup> Religiosa  
de sepult.  
in 6.

† Abbates verò sepeliantur in Capitulo, seu Ecclesia, hac in scriptione superaddita in paruo lapide, qui sit quasi pars tertiæ cippi; *Tali die talis mensis, & anni obiit P. Frater N. Dominus Abbas huius Monasterij.*

† Generalis denique si decedat, in Cruce Ecclesiæ sepeliatur cippo superposito, & huiusmodi epigraphæ insculpta: *Tali die, talis mensis, & anni obiit R. P. Frater N. Generalis Congregationis nostræ.*

¶ 30. Præcipimus vt defuncto Monacho quocunque, Inventarium fiat à Priore, ac duobus Depositarijs omnium rerum, quæ sui vsus erant: omnes enim ad Monasterium, in quo Conuentualis erat, pertinere declaramus.

¶ 31. Libri, & scripta in Bibliotheca reponantur (prout infra dicetur) de cæteris, tanquam de rebus Monasterij, iustè ac prudenter disponat Abbas: curet tamen primò, vt obligationibus, aut debitis forsitan à Defuncto relictis, integre satisfiat.

§.

### De Hospitario, & Hospitio Monasterij.

32. **H**ospites ex præscripto Sanctæ Regulæ, & tanquam Christus suscipiantur, nullusque clausis charitatis visceribus ab Ostio Monasterij dimittatur: *Ne fortè cui domus fuerit clausa, cui humanitas denegata, ipse sit Deus.*

<sup>b</sup> Cap. 53.

<sup>c</sup> August.

33. Pro Hospitibus igitur recipiendis deputatum sit Hospitium decenter ornatum, & sufficienter prouisum, tum quoad

ca

ea quæ ad lectum pertinent, tum quoad fructum mensæ, quæ Abbates specialiter curent, & in visitationibus, si negligentes fuerint, super ijs diligenter provideatur; cum in Charitatis domo instrumenta Charitatis deesse, opprobrium sit Charitatis.

34. Ad receptionem etiam, ac ministerium Hospitum curamque Hospitij, designet Abbas Monachum grauem, modestum, prudentem, & affabilem, qui gratum cunctis sciat fructum exhibere, omnesque congruo honore, & vrbane tractare; Hic Hospitij munditiam sollicitè curet, omnemque illius suppellectilem mundam, nitidam, & apte compositam habere studeat; cui si opus fuerit detur Coadiutor, per Inuentariũ accipiat omnia Hospitij utensilia, neque inde ad alium quemuis vsum extrahi permittat.

34. Primò autem circa Hospites Congregationis nostræ decernimus, vt omnes quacunque superuenientes hora suscipiantur: Eos tamen admonemus ne in tempestiue, quoad fieri possit, adueniant.

35. Monasterium ingressi statim Superiorem adeant, & coram eo prostrati benedictionem Regularè more solito accipiant cuiuscunque dignitatis, & præminentia existant, quod districtè obseruari præcipimus. Benedictioneque accepta cum Charitate, & hilaritate recipiantur, testimoniumque Abbatis sui, siue licentiam Reuerendissimi exhibeant, statimque sacrosanctam Eucharistiam adoraturi, Chorum, vel Ecclesiam pergant.

† Quoad forũ verò penitentia, licet subditi sint in alio Monasterio ita se habeant in eo quo hospitantur, ac si Conuentuales forent illius.

36. Sub obedientia Prælati eiusdem Monasterij sint toto hospitalitatis tempore, nisi fortè habeant præsentem Abbatem suum.

† Si vltra triduum in Monasterio Hospites sint permansuri pecuniam quam secum deferunt Depositarijs tradant, alioquin Proprietatis pœnas incurrant.

† Quoad Chorum triduo transacto Horas diurnas frequentent. Nullus saltem Missæ maiori, Completorio, & Orationi illius desit Matutinisque diebus festis.

† Quoad Refectionem, Conuentum communiter sequatur, præcipimusque vt in Aduentu Domini nulli omnino cuiuscunque digni-



dignitatis sit carniū esus concedatur præcisa ratione Hospitis, alioquin Abbas aliter faciens in Visitationibus grauitè puniatur.

† Præcipimus vt pro nullo nostræ Cōgregationis Monacho, nec etiam pro Reuerendissimo cellula Hospitij aulæis, aut sericis ornetur.

37. Circa alterius Religionis Hospites, vel etiam sæculares personas statuimus, vt omnes ( iuxta sanctam Regulam ) cum omni officio Charitatis suscipiantur, nullique ad Monasterium transeunter saltem accedenti Hospitalitas denegetur. Quod si fortè Superior in suscipiendis, aut hospitandis Hospitibus defecerit, ad arbitrium Visitantium iuxta qualitatem culpæ suspendatur, super quo in Visitationibus diligens fiat inquisitio, culpabilesque seuerè puniantur.

38. Præcipimus tùm Abbati, tùm alteri cuiunque Monacho qui Hospitem receperit, vt eum primò ad Orationem ducat in Ecclesiam, vel in Sacellum aliquod, vt sanctæ Regulæ dispositio obseruetur. Prælatos autem admonemus quod ex Decreto Sixti V. non possunt recipere Hospites Regulares ( præsertim si sint ignoti, aut suspecti ) nisi exhibeant licentiam, seu literas dimissorias suorum Superiorum.

39. Præcipimus vt neque in Hospitio, neque in Refectorio vasa aurea, aut argentea ad seruitium Hospitū adhibeantur, sed omnia fictilia, stannea, vel vitrea sint ( nisi forsitan Hospes Episcopalis dignitatis, aut alterius similis existat.

40. Permittimus tamen in Hospitio pro Hospitibus sæcularibus fuscinulas aliquas argenteas, argenteaque cochlearia. † Circa lotionem pedum Nostrorum, ac aliorum Hospitum, in obseruationem sanctæ Regulæ, consuetudo seruetur.

## §.

## De Ostiario Monasterij.

41. **C**irca Ostiarium Monasterij interdiciamus primò ne personis sæcularibus Ianuæ cura demandetur, sed talem Monachum studeat Abbas eligere qualem sancta Regula præscribit. Iunioribus autem Monachis, seu adolescentioribus etiam

etiam Sacerdotibus, Ianuæ Monasterij minime commendentur;

42. Ostiarius portam semper habeat clausam, pulsantibusq; diligenter accurrat per fenestrellam prius respiciens, omnibusq; modestè, humiliter, & vrbane respondeat, atque prudenter satisfaciat. Erga pauperes benigne, & patienter se habeat, elemosinasque communes, atque peculiare charitatiuè procuret, & iustè distribuatur. Monachis nihil nunciare, aut mandata dare presumat, vel etiam ad colloquendum vocare absque licentia Superioris, alioquin Regulari disciplinæ subiaceat, & si non emendauerit, ab Officio suspendatur, vel priuetur.

43. Habita facultate Prælati, Monachos qui fuerint vocandi diligenter accersat; Caneat tamen ne existentes in Choro, in Lectionibus, seu disputationibus, vel in Silentio vocet, nec licentiam ab Abbate petat, nisi vrgens accedat necessitas.

44. Matutino tempore nō nisi cum luce diei Ianuæ assistat: vespere verò dato signo ad salutationem Angelicam eam claudat, & repagulis firmet, atque recedat.

45. Postquam Monasterij Ianuam, cæterasque portas clauserit, clauces non alibi nisi in manu Prælati deponat, tum nocturno, tum Meridianæ tempore. Tempore prandij, & cœnæ clauces Ianuarum Monasterij in Refectorio asseruentur, nec inde nisi de Superioris licentia, educantur; Ordinet tamen Abbas, vt pulsantibus tunc temporis (si opus fuerit) aperiatur. Solo autè Meridianæ spatio Ianuæ tintinnabulum ligetur.

### De Bibliotheca Monasterij.

46. **C**VM Bibliotheca Conuentus inter præcipuas Officinas illius meritò recenseri debeat, & haberi. Præcipimus, vt in singulis Monasterijs Congregationis nostræ Bibliotheca curiosè instituat, & curiosius conseruetur.

47. Vnde decernimus quòd singuli Abbates Conuentuum, in quibus duodecim, vel supra, communiter resident Monachi, in emendis, ac reparandis, libris aureos saltem decem singulis annis expendant. Hac autem parua quantitate contenti sumus, quia in Capitulis Generalibus, & Visitationibus maior poterit applicari,

applicari, secundum exigentiam temporis, vel necessitatem loci: nulla vero eritetas, qua paucitate illa non indigeat. Porro in minoribus Conuentibus Reuerendissimus, & Visitatores, prout opus fuerit, super hac re provideant.

48. Bibliothecæ curam tradat Abbas Monacho, qui fideliter eam custodiat, diligenter mundet, & libros ordinatim habeat dispositos, eosque sub Inuentario, seu Indice per modum Alphabeti digesto recipiat, & sub eodem successori tradat; pro quo habeat Bibliothecarius peculiarem codicem, nullusque liber, aut aliquid manu scriptum in Bibliotheca de nouo ponatur, quin prius in prædicto Codice exaretur.

49. Statuimus, vt in Bibliotheca (quæ clauem habeat communem, & semper clausa sit) silentium seruetur; præterquam si cum Hospite aliquo in ipsam videndi causa aliqui fuerint ingressi, alioquin regulari disciplina subiaceant, silentium in ea aliter violantes, aut aliquid aliud, præter id quod ad studium literarum pertinet, in ea facientes.

50. Vt autem Bibliotheca conseruari queat, & ne facile dissipetur præcipimus in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ, vt Monachorum nemo cuiuscunque qualitatis, aut conditionis sit, librum aliquem ad Bibliothecam spectantem, aut aliquid manu scriptum, quod ad ipsam pertineat, ab ea extrahere per se, aut per interpositam personam audeat, nec etiam de licentia Abbatis, aut Reuerendissimi, libris illis exceptis, qui feria secunda Quadragesimæ dari solent, vel ad Refectorium, Chorum, Capitulum, seu Nouitiatum fuerint necessarii, & aliquibus latinitatis, vt Iuniores addiscant, præsertim si fuerint duplicati.

Nullus tamen etiam istorum à Bibliotheca educatur, nisi manu Bibliothecarij, subsignante prius Mancho librum extrahente, in prædicto Codice, se tale, vel tale quid à Bibliotheca eduxisse.

51. Sub eisdem autem prædictis, præcepto, & censura, præcipimus, vt qui prædictos libros in Quadragesima legendos acceperint, anno finito, vel si à Monasterio mutari contingat, eos ad Bibliothecam reducant. Similiter etiam faciant alij, qui librum aliquem eduxerunt, transacta necessitate illius.

52. Statuimus, quod Monachorum libri, & cætera omnia manu scripta, ad usum illorum spectantia, ad Monasterium illud pertineant, in quo tempore obitus ratione aliqua subditi, seu Conuentuales fuerint: præcipimusque, vt omnia illa in Bibliotheca ad usum communem omnium reponantur, & manu scripta pergameno saltem compagentur; nec Prælati de prædictis aliter poterunt disponere, *sub præcepto virtutis sanctæ Obedientiæ.*

a Const. 1.  
cap. 3.

53. Cum autem Bibliotheca, præsertim si copiosa sit, inter Bona mobilia pretiosa computetur, alienari non poterit secundum se totam, nisi in casibus à Iure permissis, modo quo prædicta bona pretiosa alienari posse statuimus.

54. Permittimus tamen, vt aliqui libri duplicati eiusdem Auctoris, seu alij, qui non fuerint necessarii, possint cum alijs commutari, vel vendi ad alios emendos, qui Bibliothecæ magis conducant.

§.

### De Fabricis construendis.

55. Statuimus, vt Abbas nouum aliquod ædificium, seu opus momenti non construat, nisi prius Architectum consulat, modelumque ipsius delineatum habeat à Capitulo Generali approbatum; quod si Capitulum Generale longè adhuc distet Reuerendissimus, & Diffinitores auditis Abbate, & Architecto illum poterunt approbare.

56. Quamuis Abbates structuras, quæ triginta aureorum summam non excedant de consensu Consilij struere possint, & de consensu Conuentus, quæ summam ducentorum non superent; Decernimus tamen, vt alias structuras sumptuosas maiorisque pretij Ecclesiam scilicet, Claustrum, Dormitorium, & similes, absque licentia Reuerendissimi sub pœna suspensionis annuæ struere nequeant.

57. Sub eadem item pœna illis præcipimus, vt opera à Prædecessoribus suis inchoata prosequantur, nisi fortè Capitulum Generale aliud decernat.

58. Statuimus etiã vt neque Abbates, neque Reuerendissimus pro arbitratu suo possint aliquid mutare, circa modulum, seu liniamenta operis faciendi, vt supra approbata, nec etiã incepta ædificia. Quod si aliquid mutandum, seu emendandum esse progressu temporis videatur, Reuerendissimus, Abbas, & Consiliarij audito Architecto, prout ad operis perfectionem melius, accommodatius, seu conuenientius videbitur, mutare, seu emendare poterunt.

59. Abbates æs alienum pro fabricis nẽ consent, sed in eis tantum expendant, quæ potuerint, ex annuis censibus Monasterij. Quos obiter admonemus, vt in huiusmodi censibus expendendis, primo loco agant de ijs, quæ ad cultum Dei spectant; vnde in illis, quæ ad ornatum Sacristiæ, & Ecclesiæ pertinent, expendant quidquid eis prudentèr placuerit. Secundo loco agant de necessarijs ad Victum, & Vestitum Monachorum, de Hospitibus item, Peregrinis, & Pauperibus. Tertiò tandem de Fabricis, & operibus.

60. Vltimò tandem statuimus, quod structuris, ac fabricis ponderis, & momenti Monachus tanquam Magister à Reuerendissimo præficiatur, qui diligenter, & sedulo illis assistet, illorumque augmentum vrgeat:

Hic verò pecuniam soluet Mercenarijs, singulis Sabbatis assistente simul alio

Socio.

•†•



# LIBER TERTIVS

DE IIS, QUÆ AD SINGVLOS  
Monachos spectant.

## CONSTITVTIO I.

De Precibus, ac Suffragijs Diuinis.

### CAPVT I.

De Horis Canonicis persoluendis.



**S**TATVIMVS vt Officium Diuinum, quod septem Horas Canonicas complectitur, & opus Dei à Sanctissimo Patriarcha appellatur, quotidie in Choris, aut Ecclesijs Monasteriorum Ordinis nostri Conuentualiter, horis solitis, iuxta Breuiarium Monasticum à Paulo V. recognitum deuote pariter, & attentè persoluarur.

2. Prælati autem præcipimus, eorumque conscientias super hoc grauitè oneramus, vt perfectioni celebrationis Officij Diuini maximè inuigilent, Chorum frequentent, curentque vt nihil velociter, cursim, festinanter, aut confuse recitetur, sed omnia distinctè clara, & intelligibili voce, tractim, solitaque pausa proferantur. Monachos verò exhortamur, & in Domino obsecramus, vt eleuata mente in Deum, debitaque reuerentia, grauitè etiam, ac modestè Diuinis assistant Officijs.

3. Porro

3. Porro extra Chorum recitantes, non sedendo, aut ambulando, sed iuxta sanctam Regulam, genibus flexis prout maiestatem Dei orantes decet, Officium Diuinum congruentibus horis persoluant. Quod si aliter fecerint intempestiuè scilicet, vel non genuflexo, semel, & iterum reprehendantur; tertio verò in pane, & aqua ieiuent quacunque dignitate, aut gradu præfulgeant, quod Prælati, & Priores innuolabiliter faciant obseruari, alioquin in Visitationibus grauis culpæ pœna plectatur.

§.

9. Quod verò attinet ad horas dicendi Officium Diuinum, sequentia statuimus.

4. Ad Matutinam (iuxta sanctam Regulam) pulsetur hora secunda post mediam noctem, exceptis die Natiuitatis Domini, & tribus diebus ante Pascha, in quibus Rituale nostrum seruetur, seu prout fuerit opus, Abbas disponat.

5. Ad Primam pulsetur à die sancto Paschæ vsque ad Idus Septembris hora quinta, manè.

\* Ab Idibus autem Septembris inclusiuè, vsque ad kalendas Octobris, pulsetur hora quinta cum dimidia.

\* A Kalendis Octobris vsque ad diem S. Catharinæ 25. Nouembris, pulsetur hora sexta.

\* A die S. Catharinæ vsque ad diem S. Mauri Ianuarij 15. pulsetur quadrante 1. post horam sextam.

\* A die S. Mauri, vsque ad diem S. P. Nostri Benedicti, pulsetur hora sexta.

\* A die S. P. Benedicti, vsque ad Pascha pulsetur hora quinta cum dimidia.

6. Ad Tertium Officij Diuini, à die Paschæ vsque ad Idus Septembris, pulsetur hora octaua. In diebus Ieiunij regularis hora octaua cum dimidia. In diebus autem Ieiunij Ecclesiæ, & ab Idibus Septembris vsque ad Pascha, pulsetur hora nona.

Porro diebus in quibus habetur Concio, Officium prolixius, vel aliquid simile, pulsetur duplici quadrante ante horam solitã, aut ita disponat Abbas, vt omnia tempore congruo fiant, ac finiantur. In Monasterijs Urbicis seruetur cõsuetudo pulsandi.

7. Sexta Officij Diuini, à Pascha vsque ad Idus Septembris dicatur post Missam Maiorem, exceptis diebus ieiunij, in quibus dicetur ante Missam. Ab Idibus Septembris vsque ad Pascha, similiter

similiter etiam ante Missam dicatur; exceptis Dominicis, ac Festis, in quibus diceretur post illam.

8. Ad Nonam, pulsetur à Pascha vsque ad Idus Septembris Hora duodecima exceptis diebus ieiunij, in quibus dicitur Nonna post Missam. Ab Idibus Septembris vsque ad Pascha, post Missam quoque dicatur; exceptis Dominicis, ac Festis, in quibus post gratiarum actionem in Ecclesia recitetur.

Preciosa dicatur post Missam ( vt mos est ) Dominicis autè, ac Festis post primam.

9. Ad Vesperas à Kalendis Aprilis ( nisi fuerit adhuc tempus Quadragesimæ ) vsque ad Idus Septembris, pulsetur hora secundâ cum dimidia. Ab Idibus autem Septembris vsque ad primum Sabbatum Quadragesimæ, hora secunda. A prædicto Sabbato, & deinceps in Ferijs eiusdem Quadragesimæ, hora vndecima ante prandium.

10. Ad Completorium, à Kalendis Aprilis vsque ad Idus Septembris ( si dies fuerit cœnæ ) pulsetur hora quinta post meridiem. Ab Idibus autem Septembris vsque ad prædictas Calendas, in eisdem diebus cœnæ, pulsetur hora quarta cum dimidia. Si autem dies fuerint ieiunij, pulsetur hora Collationis, de qua infra Constit. 4. Cap. 1.

§.

11. Quod verò attinet ad Cantum statuimus vt in prædictis Monasterijs prædictis tantum diebus, Natiuitatis, & tribus ante Pascha, Matutinæ Preces, & Laudes integre cantentur.

12. In Festis autem solemnibus duplicibus primæ Classis cantentur Inuitatorium, & Hymnus Matutini, Psalmi, & Antiphonæ, primi, ac secundi nocturni, & Lectiones, Hymnus Te Deum laudamus, Euangelium, & Laudes.

† Hæc autem solemaiora septem tantummodo sunt. Nimirum *Dominica Resurrectionis*, † *Festum Pentecostes*, † *Festum Assumptionis Beate Mariæ* † *Transitus*, & *Translatio S. Patris nostri Benedicti*, † *Festum denique omnium sanctorum Ecclesiæ vniuersalis*, & † *Festum omnium sanctorum Ordinis nostri*.

13. Secundò Inuitatorium, & Hymnus, Te Deum cum Euangelio, & Laudibus, cantantur in alijs septem Festis sequentibus. Nimirum *Epiphania Domini*, † *Ascensione Domini*, † *Festo Corporis Christi*, † *Natiuitate Sancti Ioannis Baptista*, † *Festo*



*Festo Apostolorum Petri, & Pauli, & Festo Patroni Monasterij  
 & Conceptione Deiparæ Virginis.*

14. *Tertio* Inuitatorium, & Hymnus, Te Deum cum Euā-  
 gelio, & in Laudibus à Capitulo, ac deinceps canteatur in Festis  
 sequentibus. † *In Circumcisione Domini, † In Festo sanctissime  
 Trinitatis † In Festis Beatæ Mariæ quæ à Populo coluntur (præ-  
 ter Assumptionem † In Festis sancti Mauri, S. Placidi, & sanctæ  
 Scholasticæ.*

15. *Quarto*, Inuitatorium, & Hymnus, Te Deum cum Euā-  
 gelio, & in Laudibus ab Antiphona ad Benedictus, & deinceps  
 cantentur in *Festo Inventionis sanctæ Crucis, in Festis Apostolo-  
 rum, & sancti Barnabæ, in Dedicatione S. Michaelis, in Festis S.  
 Gregorij, S. Bernardi, & Presentatione Beatæ Mariæ.*

16. In cæteris Duplicibus, semiduplicibus, atque Domini-  
 cis Psalmus Venite, &c. Lectiones, & Respons. intonentur, Te  
 Deum cum Euangelio cantetur.

17. In diebus denique trium Lectionum Psalmus Venite,  
 &c. Lectiones, & Responsoria intonata dicantur \* Antiphona  
 autem Beatæ Virginis, *Aue stella matutina, &c.* in fine Laudum  
 cuiuslibet Officij singulis diebus cantetur, in festis autem in  
 quibus aliquid ex Laudibus cantatur, eam Cantor inchoet, &  
 Organum prosequatur.

18. Circa horas diurnas statuimus secundò, vt *Prima* in  
 Festis Duplicibus, & Dominicis, cantetur integrè: cæteris diebus  
 Psalmi tantum sint intonati, Reliqua verò cum cantu dicantur.

19. *Tertia* semper cantetur; *Sexta, & Nona*, dicantur into-  
 natæ. In die tamè Ascensionis Domini cantetur *Nona* solemniter.

20. *Vesperæ* cantentur; quando tamen Psalmi fuerint Ferial-  
 es intonati dicantur. (Præterquam in Adventu, & Quadrage-  
 sima) Vesperisque finitis stationes fiant prolucrandis Indulgen-  
 tijs.

21. *Completorium*, cantetur in Festis Duplicibus, atque Do-  
 minicis; Cæteris verò diebus Psalmi sint intonati; Hymnus  
 tamen, & cætera deinceps cum cantu dicantur.

† Antiphona Beatæ Mariæ in fine Completorij semper can-  
 tetur, Addita etiam in honorem immaculatæ Conceptionis  
 eiusdem Deiparæ Commemoratione solita *Conceptio tua, &c.*

Vt hæc autem facilius seruari possint, Tabella, quæ illa omnia indicet Choro affigatur.

22. Statuimus vt ad omnes Horas Officij Diuini Monachi Cucullas deferant: Hospites verò qui eas non habuerint, itinerantium pallia ferant.

In sedendo, stando, genuflectendo, ac in cæteris Rituali feruetur.

§.

23. Circa recitationem verò Officij Parui Deiparæ Virginis singularem erga illam deuotionem, & antiquam Ordinis nostri consuetudinem instaurari, atque conseruari cupientes; statuimus vt diebus singulis Officium Paruum eiusdem gloriose Virginis Conuentualiter ordine sequenti recitetur.

Matutinum, & Laudes sequentis diei, dicantur die antecedente post Orationem Completorij, si dies fuerit ieiunij.

Porrò si dies fuerit cœna, ea finita, sacroque signo ad salutationem Angelicam, immediatè pulsetur campanula, omnesque ad sonitum illius in Choro, vel Capitulo congregentur, atque ibi deuotè recitent Matutinum, & Laudes Deiparæ, sequentis diei. Quibus recitatis, ac finitis, presidens aqua lustrali omnes aspergat, omnesque cum silentio in cellulas suas se se recipiant.

Horæ diurnæ Virginis dicantur immediatè post Horas similes Officij Diuini, ita vt dicto Benedicamus Domino, in Prima Diuini Officij, recitetur statim Prima Deiparæ similiterque Tertia post Tertiam, Sexta post Sextam, & Nona post Nonam, Vesperæ autem, & Completorium recitentur in Lektionem pomeridiana (de qua infra.)

## CAPVT II.

*De quotidianis Missarum Sacrificijs.*

1. Statuimus, vt in Monasterijs maioribus Ordinis nostri tres quotidie Missæ ex obligatione Conuentuali (præter alias vnus, vel alterius Monasterij peculiare) celebrentur. Missa scilicet de Prima, quæ semper sit de Beata Virgine, & pro tota Congregatione nostra offeratur; singulisque Sabbatis can-

tetur

retur ab omni Conuentu post Primam. Missa deinde Matutinalis, quæ secundum Rubricas Missalis, ac Rituale nostrum dicitur, offeraturque pro animabus Purgatorij, ac potissimum pro Fratribus, & Benefactoribus.

Missa denique maior, seu de Tertia, quæ pro vniuersa Catholica Ecclesia offeratur, ac semper cantetur.

2. Præcipimus, vt huiusmodi Missæ Conuentuales, nec etiam à Capitulo Generali pro alijs obligationibus satisfaciendis applicentur, nisi vrgens occurrat necessitas; tunc enim Matutinalis pro aliquo tempore à Capitulo aliter poterit applicari.

3. Statuimus, vt harum Missarum Hebdomadæ, & aliarum similium per Sacerdotes Conuentus ordinatim distribuantur. Qui cum vacauerint, poterunt duas pro intentione sua celebrare Missas; reliquas verò secundum ordinem Sacristæ celebrent, alioquin grauitè puniantur.

4. Præcipimus, vt Sacerdotes Ordinis nostri venerabile, & admirandum Sacrificium quotidie frequentent; quòd si non legitima interuenientè causa, duobus successiuè diebus celebrare desinant, Regulari disciplinæ subiaceant.

Quoties autem non celebrauerint, Missam saltem audire curent, nè vlla dies transeat absque visione dulcissimi Domini, in quem desiderant Angeli prospicere.

5. Præcipimus etiam vt non perfunctoriè, & ex more tantum ad Altare accedant, celerique ritu celebrent, nec nimis festinanter, sed tota animi attentione, ac deuotione in Sacris actionibus lentè festinent, atque ita compositè, grauitè, & temperatè se gerant, vt horæ dimidium in celebratione Missæ expleant.

6. Statuimus denique, nè fortè Sacerdotes Ordinis nostri Missarum copia nimis grauentur; vt nullus actu habere possit plusquam centum & quinquaginta Missas in futurum celebrandas. Studentes verò in

Collegio non poterunt similiter  
habere plusquam ter-  
centas.

(¶)

## CAPVT III.

## De Ordine Officij Diuini, &amp; aliorum in Monasterijs minoribus seruanda.

1. **S**Tatuimus vt in Monasterijs minoribus, quæ quinque saltem, vel sex Monachos Conuentuales habuerint, noctu surgant Monachi ad Matutinas preces eadem hora, qua cæteri in alijs Monasterijs maioribus surgere solent, easque cum debita pausa, atente pariter, & deuote recitent, & in fine Laudum intonatam saltem dicant Antiphonam, *Aue stella Matutina, &c.*

† Inuitatorium autem, Lectiones, & Responsorialia in Festis saltem Duplicibus primæ classis, ac in Festis Deiparæ Virginis intonatè dicantur. Hymnus *Te Deum*, & Euangelium si fieri possit, in his etiam Festis cantetur. Finitis verò Laudibus, Oratio mentalis semper habeatur.

2. Ad Primam Officij Diuini surgant manè horis solitis, qua finita, recitent Primam Deiparæ Virginis, & ibidem habeant exercitium matutinale Orationis (de quo infra.)

Hora Tertiarum recitetur similiter in Choro Tertia, Sexta, & Nona Officij Diuini cum eisdem Horis Domine nostræ. Deinde dicatur Missa maior, quam omnes Conuentualiter à Choro audiant, eaque finita dicatur *Pretiosa*: Ferijsque Sextis habeatur Capitulum culparum.

3. Horis solitis in Refectorio comedant cum silentio, & lectione, & post prandium in Ecclesiam pergant cum gratiarum actione, & Responsorium dicant pro Defunctis (vt mos est.)

4. Lectio pomeridiana habeatur, Vesperarumque & Completorium Domine nostræ, atque Officium Defunctorum, vt in alijs Monasterijs, recitentur.

5. Vesperarum Officij Diuini suis horis dicantur, & postea fiant Stationes pro lucrandis Indulgentijs.

† Vesperis autem finitis, præcipimus, vt exceptis diebus Festis, omnibus Conuentualiter Congregatis lectio casuum Conscientiæ.

scientiæ habeatur per horæ saltem dimidium, legente, scilicet vno per ordinem summam aliquam, seu Auctorem aliquem ex probatoribus, cunctis alijs audientibus, Doctior autem, quem Abbas designauerit, explicet tandem quid tenendum sit, ipsique Monachi conferant, & repetant, audita, & explicata inter se, ita vt fructus aliquis ex huiusmodi lectione colligatur.

6. Completorium, & Oratio mentalis post illud, Matutinumque, & Laudes Dominæ nostræ sequentis diei recitentur eisdem horis, quibus in alijs Monasterijs recitari solent.

7. Statuimus, vt in prædictis Cœnobijs Missa de Prima solitis horis dicatur, & singulis Sabbatis in honorem Beatissimæ Virginis cantetur.

† Similiter etiam cantetur Missa maior diebus Dominicis, ac Festis, & Antiphona Deiparæ Virginis in fine Completorii singulis diebus cantata cum organo, vel saltem intonata dicatur. Additamentum tamen illud, *Conceptio tua*, &c. semper cantetur.

† Singulis etiam mensibus cantetur Missa Anniuersarij pro Fratribus defunctis, cæteraque suffragia, de quibus infra, cum cantu, vel sine cantu fiant secundum possibilitatem prædictorum Conuentuum.

8. Præcipimus vt hic ordo in Monasterijs illis minoribus seruetur, eumque Abbates seruari faciant, alioquin in Visitationibus suspendantur, & grauitè puniantur secundum qualitatem culpæ.

9. Cætera autem, vt Ieiunia Regularia, abstinentia à carnis, flagellationes Conuentuales, & huiusmodi alia, quæ à multitudine Monachorum minimè pendent, sub eisdem pœnis seruentur, sub quibus in alijs Monasterijs maioribus seruari solent; Monachosque illic degentes admonemus, & in Domino exhortamur, vt vanis, ac ludricis occupationibus abiectis,

Lectioni, Orationi, alijsque vtilibus, ac spiritualibus

exercitijs vacent, cum à laborioso maiorum

Conuentuum onere sint exempti.



## CAPVT IIII.

## De Suffragijs pro Fratribus, &amp; Benefactoribus.

1. **S**Tatuimus, vt singulis diebus Missa Matutinalis pro Fratribus, & Benefactoribus nostris (vt dictum est) potissimum offeratur, eaque finita, exeat Sacerdos ad sepulchra Fratrum, ipsa aqua lustrali aspergens, & Responsorium cum Orationibus solitis recitans.

2. Præcipimus vt singulis diebus (tribus tantum exceptis, die scilicet Natiuitatis Domini, Resurrectionis, & Pentecostes) finitis gratijs post prandium, Conuentus in latere Claustrum recitet Responsorium pro Fratribus, ac Benefactoribus defunctis, Hebdomadariusque sepulchra Fratrum aspergat, & Orationem *Deus venia largitor, &c.* cum Versibus solitis recitet.

3. Præcipimus vt singulis hebdomadis Feria secunda post Primam (si in ea Festum Duplex non celebretur) Missa Defunctorum pro animabus Purgatorij, præcipueque pro Fratribus, ac Benefactoribus nostris Conuentualiter cantetur, & in fine Responsorium. Si autem Festum Duplex die illo occurrat, prædicta Missa recitata dicatur.

† Similiter etiam Ferijs sextis in fine Vesperarum, & Sabbatis, finita Missa maiori, cantetur Responsorium cum Orationibus in Processionario assignatis pro eadem intentione (nisi prædictis diebus, festum solemne, aut quod à Populo colatur occurrat).

4. Ordinamus, vt singulis mensibus, die quoad fieri possit Festo Duplici non impedito, fiat Anniversarium pro Fratribus, ac Benefactoribus more solito. Huic autem Anniversario omnes tum Conuentuales, tum Hospites assistant, nullusque desit quantumuis priuilegiarius sit.

5. Vltimo tandem statuimus, vt singulis annis decimo quarto die Nouembris Officium Defunctorum solemne fiat pro Monachis, ac Fratribus Congregationis nostræ eodem modo quo fieri solet in die Omnium fidelium Defunctorum, omnesque prædicto Officio quantumuis priuilegiarij intersint, & pro dicta intentione eadem die celebrent, nisi alijs obligationibus Conuentus, fuerint impediti.

## CAPVT V.

*De suffragijs pro Monachis qui è vita  
decedunt.*

1. **S**Tatuimus vt pro quolibet Monacho ad seruitium Chori destinato qui è viuis decesserit, singuli Sacerdotes illius Monasterij in quo ille Conuentualis erat, septies pro ipsius anima Sacrum faciant, ter autem singuli alij Sacerdotes Congregationis.

Porro Monachi, qui Sacerdotali caractere non fuerint insigniti, ter recitent Officium defunctorum, integrumque Rosarium Deiparæ Virginis. Donati verò septies tertiam partem Rosarij.

Nouitij denique pro Monachis qui obierint in eodem Monasterio in quo probantur, idem quod professi offerre, aut recitare tenentur, recitent.

2. Statuimus *secundò* vt in die obitus alicuius Monachi, aut in sequente (si in eodem commode fieri nequeat) Officium nouem Lectionum, Missaque solemniter canterur à Conuentu Monasterij, in quo Conuentualis extitit. Quòd si in alio Conuentu decedat, ibidem prædictum Officium, & Missa canterur. In fine mensis cantetur etiam Officium trium Lectionum, & Missa cum Responsorio ad finem illius. Anno denique finito, idem quod in die obitus fiat. Et præter hæc, tricenarium Missarum per Sacerdotes Monasterij Sacrista diuidat inchoandum statim post diem obitus fratris defuncti.

3. Si Reuerendissimus pater Generalis obierit, vltra prædicta, in singulis Monasterijs Cōgregationis nostræ solemne fiat Officium post nuncium mortis illius.

4. Statuimus *tertio*, vt post diē sepulturæ Monachi defuncti pergat Conuentus ad sepulchrum illius per nouem dies continuos post Missam maiorem, & post Vesperas recitans Psalmū *Miserere*, &c. & cantet ibi Reponforium cum Orationibus in Processionario designatis, cæteraque fiant prout in Rituali habentur.

5. Pro Donatis, Sacerdotes Conuentuales illorum ter Sacrum faciunt, Sacerdotes verò aliorum Cōuentuum bis Missam celebrent. Qui Sacerdotes non fuerint, semel recitent Officium Defunctorum, & septem Psalmos Pœnitentiales: Alij Donati idē quod supra. Quinque autem diebus Conuentus tendat ad ipsorum tumultum cum Psalmo, & Responsorio prædictis. Officia denique in die obitus illorum, mense, & anno fiant ( vt supra numero 20.

6. Pro Nouitijs autem, si tempore Nouitiatus moriantur, ter quilibet Sacerdos eiusdē Monasterij celebret, alij verò Cōuentuales illius, qui Sacerdotes non fuerint, ea quæ supra numero 1. recitent.

7. Vt autem fraterna Charitas in prædictis suffragijs citò, ac diligenter exerceatur, præcipimus vt statim ac Monachus aliquis obierit, Prælatus Monasterij Reuerendissimum certiorē faciat, vt ipse per Epistolam ceteris Prælatis Fratris obitum obnunciet, singulique Monachi obligationi suæ statim satisfaciant: super quo conscientias eorum grauius oneramus.

Vnde in memoriæ subsidium præcipimus, quod pro foribus Sacristiæ huiusmodi admonitionem in chartula Sacrista scribat. *Obijt N. cuius anima, requiescat in pace, Patres, ac Fratres obligationis suæ reminiscantur.*

8. Præcipimus, vt portio cuiuslibet Monachi defuncti, tum prandij, tum cœnæ pauperibus largiatur triginta diebus, si Monachus vita functus fuerit subditus: quadraginta si fuerit Prælatus: quinquaginta si fuerit Generalis, quod Prælati, & Officiales ad quos spectat adimplere teneantur *in virtute sanctæ Obedientiæ*, & sub pœna suspensionis totidem dierum. In loco autem Monachi defuncti ( excepto Abbatis loco ) nullus

alter infra dies illos sedeat, in eoque ponat

Sacrista Crucem paruulam, vt superstites

Monachi defuncti Fratris,

piè recordentur.

(:)

CONS-



## CONSTITVTIO II.

## De Præceptis circa Vota essentialia.

## CAPVT I.

## De Voto Obedientie.

1. **L**ICET tria Religionis vota, in quibus tota Monachorum vita, & perfectio sita est, præ cæteris quibusuis alijs obseruantijs prosequenda, ac summa cura seruanda sint, præcipuè tamen sanctam Obedientiam, primam Monasticæ vitæ radicem colere, & obseruare necesse est, cum

*sola Obedientia virtus sit, quæ cæteras virtutes menti inserit, insertaque custodit.* Greg. Mag.

2. Quapropter Monachos omnes admonemus, & exhortamur in Domino, vt cum omni humilitate, & subiectione Superioribus suis obediant, vniuersaque eorum præcepta adimplere contendant, ac si à Deo cælitus fuissent emanata memores sanctæ Regulæ ex qua tenentur *grauia quoque, & impossibilia* per Obedientiam iniuncta perficere. Cap. 68.

3. Prælatos item admonemus quòd licet præcepta Obedientiæ ad Disciplinam Regularem tuendam sæpe sint necessaria, illis tamen sobriè, summaque cum maturitate, & non nisi graui causa interueniente vtatur, ne vbi remedium quæritur, perniciës paretur.

4. Quapropter decernimus, vt præcepta Obedientiæ vniuerso Conuentui imposita non obligent ad mortale, nisi in scriptis, & horum verborum serie ferantur: *in virtute sancte Obedientiæ præcipio, &c.*

5. Siquis autem formaliter inobediens fuerit nolens Prælato suo obedire, aut cum eo tumultuosis verbis superbè contendere ausus fuerit, carceri mancipetur, & in neruum mittatur,

ieiui-

ieiunijs, & verberibus, alijsque pœnis iuxta qualitatem culpæ tenerè puniatur.

6. Præcipimus etiã Abbatibus, vt inobedientes Priori, aut Subpriori, vel Nouitiorum Magistro, grauiter puniant, inobedientiæque seu irreuerentiæ culpas nullatenus dissimulent, alioquin in Visitationibus grauiter puniantur.

7. Siquis denique præceptum aliquod formale, in virtute sanctæ Obedientiæ impositum violauerit, secundum conditionem materiæ, & alias circũstantias culpæ, pluribus aut paucioribus diebus panem tantum, & aquam in Refectorio comedat, dorsoq; nudo in Capitulo verberetur, alijsque pœnis afficiatur.

## CAPVT II.

## De voto Castitatis.

1. **C**VM iudicis homo, & Angelus differant quidem, felicitate tamen non virtute, vt cuius virtutis maius est periculum, maior sit cura, curent Monachi Angelicæ puritatis professores eam incorruptam conseruare corporis, & animi occupatione, asperitate cultus, inhibitione sensuum, raritate sermonis, occasionum fuga, hostes quippe Castitatis fugiendo potius, quam resistendo vincuntur.

2. Licet autem Castitas in corde præcipuè retinenda sit, externis tamen sensibus illam etiã colere oportet, cum pudicitia Christianæ non satis sit esse castum, sed & videri: Quare studeant Monachi omni tempore, ac loco eam modestiam præferre, vt pudici oculi, & pudica lingua, ceterique actus externi signa sint interioris puritatis.

3. Siquis tamen de simplici fornicatione fuerit conuictus, duobus mensibus in carcerem recludatur, priori mense pedibus in neruo iniectis, ferijsque sextis illorum duorum mensium, pane & aqua ieiunet, & in Capitulo nudo tergo verberetur, voce tandem actiua, & passiuã tribus annis priuatus existat.

4. Quod si graue scandalum, aut aliæ circũstantiæ aggrauantes interueniant, vltra prædictam pœnam, aliæ arbitrio Iudicis augeantur. Si delinquens fuerit Prælatus, officio suo priuetur prædictisque pœnis subiaceat.

5. Statuimus vt qui secundò turpiter relapsus fuerit, pœna illa duplicata puniatur. Qui denique tertio, incorrigibilium pœnas sustineat.

6. Præcipimus, vt cætera peccata contra votum Castitatis, siue simplici fornicatione leuiora sint, siue grauiora, illorum grauitate, aut leuitate considerata, Prælati diligenter, & proportionatè puniant, ac prudenter delinquentibus medeantur.

7. Præcipimus tandem vt impudici nullo vnquam tempore Prælati esse possint in Monasterio illo, in quo de violatione Castitatis cum tertio fuerint conuicti, & de infamia illius vulgò notati. Neque item per decennium ad illud Monasterium vilo modo redire possint: super quo Prælatorum, ac Reuerendissimi conscientias grauius oneramus.

### CAPVT III.

#### *De voto Paupertatis.*

1. **Q**uoniam paupertas (teste Ambrosio) parens quædam & generatio virtutum est, votumque illius validissimum vitæ Monasticæ propugnaculum; oportet, vt voluntaria paupertatis professores intra septa eiusdem se se contineant, ad radicem malorum omnium cupiditatem faciliè expugnandam, expeditiusque in cælum iter agendum.

2. Vt ergo proprietatis vitium Monachis omnibus detestandum procul à Religione arceatur, sciant imprimis Monachi, singulos ratione voti Paupertatis in professione emissi, teneri omni cuiusque rei dominio renunciare, & solum necessariorum vsu, quæ cum benedictione habent, contentos esse debere.

3. Vnde ad votum Paupertatis spectat, nihil Monachos sine aliqua suorum Superiorum licentia, seu contra expressam illorum voluntatem dare, accipere, retinere, deponere, expendere, mutuare, aut cum alio permutare, vel quouis alio modo alienare, nec usum alicuius rei sibi applicare, aut in certum usum concessa in alium conuertere, nec quidquam in scio Prælato demoliri, aut ea intentione occultare ne Superior illud auferat, seu auferre possit. Quapropter sollicitè hæc omnia Monachi aduerant, & obseruent.

4. Debent præterea ratione voti animum habere paratum sponte resignandi in Prælatorum manibus (quoties id superior fieri mandauerit) ea omnia, quæ ad vsum sibi sunt permittæ; alias se paupertatis voti transgressores esse sciant.

5. Præcipimus vt Monachorum nemo aliquid proprium sibi esse dicat, nec verbum *tuum*, aut *meum* in Religione audiatur, sed charitatis ore quidquid in ea est, *nostrum* appelletur; nihilq; sub clauæ clausum, nisi ex licentia Prælati habeatur.

6. Prælatos autem admonemus nè in licentijs concedendis, aut negandis, ad donandum, habendum, expendendum de humano ducantur affectu, & respectu, sed in cunctis illis rationabiliter, & prudenter se gerant, atque ex iusta causa petita concedant, aut negent, nè potestate sua abutentes, peccati rei tantquam infideles, & iniusti administratores, facile existant.

7. Cùm verò duplex sit bonorum genus (quædam enim immobilia, quædam mobilia dicuntur) quod attinet ad immobilia bona, non licet superioribus ex Iure <sup>a</sup> & ex decreto sacri Concilij Tridentini <sup>b</sup> bona illa alicui Regulari concedere, etiam ad vsum fructum, <sup>c</sup> vsum, vel administrationem iusta saltem deficiente causa. <sup>d</sup>

8. Quòd verò attinet ad mobilia bona, illorum vsum (eodem sic statuente Concilio) ita superiores Monachis permittant, vt eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam necessarium eis denegetur.

Caueantque maxime Prælati ne necessaria denegando, vel non ministrando subditis, ansam illis prabeant ad votum Paupertatis violandum, aut superflua permittendo peccati labem incurrant.

9. Porro superfluitas, vel conuenientia, & necessitas mobiliùm, ipsorum Superiorum arbitrio præsumenda est, habita ratione personæ, officij, status, & cæterarum itidem qualitatum cuiusque

10. Statuimus ergo, vt superflua omnia tùm à Prælati, tùm à subditis in quolibet rerum genere præscindantur, ita vt in omnibus paupertas potiùs Monastica, quàm secularis fastus eluceat. \* Aduertantque Monachi <sup>a</sup> superflua possidentes, se neque à culpa, neque à pœna excusari.

11. Cùm autem pecunia sanctam Paupertatem maximè solent

<sup>a</sup> Cùm ad Monasteriũ.

<sup>b</sup> sess. 25. c. 2. de Regular.

<sup>c</sup> lar.

<sup>d</sup> vide Soar. tom. 3. de Relig. l. 8. c. 25.

<sup>e</sup> Sanch. 2. in Decal. lib. 7. c. 22.

Declaratio Cardinaliũ.

Declaratio Cardinaliũ.

leat oppugnare, statuimus, vt Monachorum nemo in Conuentu suo existens, pecuniam quouis modo acquisitam, & cum licentia Prælati acceptam, nec per se, nec per interpositam personam retineat vltra diem naturalem, alioquin proprietarius censetur, ac pœnâ illius sustineat, sed quidquid pecuniæ receperit, in Deposito reponat. Hospites verò obseruent quod supra statuimus.

12. Cùm præterea in ludis paupertatis obseruatio periclitetur, præcipimus, vt neque chartarum, neque tesserarum, seu taxilorum, qui vulgò *Dadi* dicuntur, aut alios in Iure laicis, seu Clericis prohibitos Monachi Congregationis nostræ ludos exerceant.

\* Intra parietes verò, seu ambitum ædificij Monasterij prædictos ludos ludere in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis ipso facto prohibemus.

13. Præcipimus etiam sub eadem virtute sanctæ Obedientiæ, vt nullo genere ludi, siue licitus ille sit, siue prohibitus, Monachus aliquis amittere possit intra diem naturalem quantitatem pecuniæ, quæ 80. terentios excedat. Excepto si comestibilia fortè ex pecunijs lucrandis ad aliquam honestam recreationem sint emenda; tunc enim cum beneplacito Prælati maior quantitas aliquo ludi genere non prohibito poterit amitti in prædicta recreatione expendenda.

14. Si quis autem Proprietarius sine licentia Superioris sui aliquid tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, biennio actiua, & passiuâ voce, iuxta Tridentinum, priuatus sit, alijsque pœnis Regularibus acriter puniatur.

sess. 25. c. 2.  
de Regul.

15. Qui verò expendendo, donando, aut aliter alienando, paupertatis votum lathaliter violauerit, secundum grauitatem culpæ, & materiæ pluriès aut paucioribus vicibus flagelletur, & in aqua, ac pane similiter ieiunet, aliavè pœna graui plectatur.

16. Qui pecuniam in parua quantitate secum portauerit, acriter flagelletur, acrius verò qui chartarum fasciculos habuerit, vel secum portauerit.

17. Ludentes denique pro qualitate ludi prohibiti, pro frequentia illius, alijsque circumstantijs, carceris inclusione, flagellis, & alijs pœnis Regularibus ad arbitrium Superiorum puniantur.

## CAPVT III.

De Cellulis Monachorum, & earum  
suppellectili.

**I.** Statuimus primò, vt Monachi Congregationis nostre habitent in Cellulis sibi ad vsum concessis, quæ ita claudantur, vt quoties Superior voluerit, in eas possit ingredi; vnde habeat Superior clauem ita fabrefactam, vt cum sibi videbitur, Cellas omnes referare possit; proptereaque nullus Cellulam, etiam noctu, ita claudat, quin semper à Superiore possit aperiri.

**2.** Nè autem Cellularum suppellex aut superflua sit, aut in necessarijs defectuosa, statuimus, vt vnicuique provideatur de mensa, de sede, de tablino ad libros continendos, de capsa ad vestes habendas, de lecto, & alijs vtenilibus necessarijs, trula nimirum ad pedes lauandos, vrceo, & vrinula ad aquam habendam, scaphio, & scopa.

**3.** Cellularum parietes nudi sint, absque vilo ornatu aularum, aut rerum similium, quæ in parietibus suspendi solent, & absque historijs etiam, seu imaginibus profanis, plàs tantum vel sacras imagines, seu effigies permittimus.

**4.** Scrinia quoque, quæ valorem excedant aureorum viginti, deinceps non emantur. Quòd si aliqua ex his prohibitis in cellulis fuerint inuenta, à Prælatis, Generali, & Visitatoribus precipimus remoueri.

**5.** Precipimus etiam, vt nec Reuerendissimus, nec Prælati, aut subditi, vasa, seu alia quæuis aurea, aut argentea, argentata, seu deaurata ad vsum, ministerium, seu seruitium suum habere possint, aut habeant. Quod si aliter fecerint, grauitèr puniantur, & vasa illa Sacristiæ, vel alteri Officiæ applicentur.

**6.** In honorem tamen sacrarum Reliquiarum Cruces paruas, vel quid simile, ex argento, seu ex quauis alia pretiosa materia cum licentia Prælatorum permittimus. Similiter etiam quiduis aliud Oratorio inseruiens, vel ad ornatum Imaginis, Crucis, seu sacræ tabulæ pictæ pertinens.

5. Quòd attinet ad lectum, statuimus quòd lectus Monachalis cõponatur ex culcitra paleata, duabus lodicibus laneis, stragulo seu coopertorio desuper albo, & ad caput puluino lana oppleto, ac cervicali lineo induto. Singula autem illa Monachis dentur sicut fuerit necesse; super quo in Visitationibus iudicetur, ac prouideatur.

6. Quinquagenarijs permittimus, vt culcitra lanea cum licentia, & benedictione Prælati vti possint: lodices autè lineas, siuè sindones infirmis tantum, & senibus annorum sexaginta permittant Abbates, ceteris nequaquam, alioquin menstrua suspensione puniantur.

7. Stragulo siuè coopertorio serico, aut aliàs curioso nullus Monachus, nec etiam infirmus, in Conuentu vtatur, conoprea super lectum suspensa Monachis interdiciamus, parietes circa ipsum lectum bocaxino tantum, vel huiusmodi alio vestiantur: pes autem eiusdem lecti storea solum, nõ tapeto, aut aliquo alio simili sternatur.

8. Quòd attinet ad suppellectilem vestium, quæ infra circa indumenta præcipimus accuratè seruentur.

9. Statuimus vt secundum morem antiquum Ordinis nostri, singuli Monachi feria secunda post primam Dominicam Quadragesimæ duplicem catalogum faciant omnium, quæ ex permissione Prælatorum ad vsum habent, vnumque Prælatis tradant subsignatum, alterum verò ab ipsis Prælatis subscriptum in cellularum ianuis interius habeant affixum. Qui verò prædicta die id non fecerint, Regulari disciplina subiacent, in pane, & aqua ieiuent.

10. Vt autem superflua fortè, prohibita, aut statui paupertatis minimè congrua præcindi possint, & auferri, præcipimus vt Abbates cellulas Monachorum scrutentur singulis quaternis mensibus, & omnia quæ superfluitatem, vanitatem, aut curiositatem redolent, ab illis auferant, alioquin in Visitationibus grauiter puniantur.

11. Præcipimus in virtute sanctæ Obedientiæ, vt Monachorum nemo in cellam alterius absque licentia Superioris ingredi præsummat, siuè hospes sit, siuè Conuentualis: neque habitator sub eodem præcepto personam aliquam absque prædicta licentia in eam ingredi permittat; quòd si secus fecerit, bis in pane, & aqua

aqua ieiunet, ac semel in Capitulo verberetur.

12. Præcipimus quoque sub eodem præcepto, & *virtute sanctæ Obedientiæ*, ne Monachi, qui socij aliorum appellantur, in cellas eorum ingredi audeant, aut in eis se detineant tempore summi silentij, nisi propter res præcisè necessarias, neque Prælati specialem alicui licentiam concedant tunc temporis ingrediendi, nisi legitima causa aliqua existat.

NUM. 17.

13. Huiusmodi autè socij (secundum <sup>a</sup> Clementinam Cõstitutionem) non sint Monachi Iuniores ad seruitium Chori destinati, nisi vigesimum quintum agant annum, sed quoad fieri possit sint Donati seu conuersi.


† Neq; præcisè ratione Dignitatis, aut Officij socij illi alicui concedantur, sed ratione ætatis, aut necessitatis. Quòd si Prælati secus fecerint, in Visitationibus puniantur.

## CONSTITVTIO III.

### De Obseruantijs Monachalibus.

#### CAPVT I.

#### De Silentio, ac Receptu Monachorum.

I.  M silentium, solitudo, & secessus Monachis maximè conueniat, *in Silentio enim, & in spe*, iuxta Prophetam Euangelicum *erit fortitudo vestra*. Præcipimus primò, vt suis locis ac temporibus silentium solícite seruetur.

<sup>a</sup> Cap. Cum ad Monasterium.

† Loca ex Iure <sup>a</sup> sunt, Chorus, Dormitorium, Refectorium, & Claustrum Defunctorum, addimus etiam, & Sacristiam, Tonstrinam, atque Cloacas.

C. 42. & 48

† Tempora verò in quibus omni loco summum silentium seruandum est sunt (iuxta sanctam Regulam) à fine Completorij vsque ad Primam, tempusq; Meridianæ, atque laboris manuum, Secundæ etiam, quartæ, & sextæ feriæ Aductus, & Quadragesimæ,

ac



ac tota maior Hebdomada iuxta antiquam, & laudabilem nostri Ordinis consuetudinem. Quod si quis prædictis temporibus aut locis silentium violauerit, Regulari disciplinæ subiaceat. Prælatos autem seriò admonemus ne in prædictis diebus Quadragesimæ facultatem concedant Monachis ad loquendum, nisi vrgens necessitas occurrat.

2. Quoniam verò multiloquium abusus est Monachorum, oportetque vt radicibus euellatur, præcipimus vt totum tempus matutinum Monachi vtiliter expendant, nec illis liceat ad confabulandum aggregari, aut extra cellas vagare, sed in illis inclusi lectioni, ac alijs honestis exercitijs, aut per Obedientiam faciendis incumbant. Quod vt seriò obseruetur, præcipimus Abbâtibus, ac Prioribus vt super hoc maximè inuigilent, & sub pœna suspensionis menstruæ ab Officijs suis, non permittant prædicto matutino tempore Monachos confabulare, fermocinare, extra cellas vagare, per fenestras, seu Conuentum versari, discurrere, aut cursitare, lusibus, seu ludis vacare, vel aliud quid simile facere, sub eademque pœna huiusmodi confabulatores, vagos, aut otio vacantes cuiuscunque sint status, irremissibiliter in Capitulis, aut Pretiosis puniant donec emendentur.

3. Statuimus, vt cum Monachi à Cellulis in Chorum, vel ab vno actu Conuentuali in alium tendunt, vel à Choro exeunt, cum silentio pergant, alioquin in fabillibiliter disciplinæ Regulari subiaceant.

4. Præterea tanquam consonum sanctæ Regulæ statuimus vt post prandium hyemis etiam tempore cum silentio se se recipiant in cellulas suas per spatium vnus quadrantis, eo autem transacto, poterunt exire, & honeste conuersare.

5. Præcipimus vt tempore nocturno facto signo Receptui Monachorum, omnes in Cellulas suas se se recipiant, vnoque deinde quadrante transacto, Prælati per se, vel per Priores singulorum cellas visitent, ianuisque apertis considerent sint ne inclusi, foris autem vagantes Regulari puniant disciplina.

6. Cæteris temporibus in quibus fermocinare licet, modeste confabulentur Monachi, non vociferantes, aut tumultuatim loquentes: oportet autem confabulationes Monachorum spirituales, aut honestas esse, ideoque à Prælatis murmuratoria, detractoria, scurrilia, aut dicata verba grauitur puniantur.

7. In

Cap. 48. §.  
A Kalendis

7. In Ecclesia, seu ad ostium Monasterij nullus Monachus; cum mulieribus præsertim, loquatur sine licentia Superioris, ac sine socio, nisi vel Monachus ætate maturior sit, vel mulier consanguinitate, seu affinitate ei sit maximè coniuncta.

8. Statuimus tandem, vt cum Monialibus tractare, loqui, epistolas earum accipere, aut ad illas scribere, Monachis, qui ipsarum consanguinei non fuerint in primò, aut secundò consanguinitatis gradu, minimè liceat, absque expressa Reuerendissimi licentia in scriptis obtinenda. Quòd si aliquis subditorum in prædictis sine prædicta licentia deliquerit, Regularibus disciplinis secundum qualitatem culpæ prima vice puniatur, & si nõ emendauerit, per mensem carceri mancipetur: Prelatus verò alijs poenis vsque ad suspensionem arbitrariam coerceatur.

## CAPVT II.

### De Lectione Spirituali, & Morali Conuen- tualiter habendis.

1. **C**VM omnis profectus ex lectione, & meditatione procedat, orationibus enim mundanar, & lectionibus instrui mur: ordinamus, vt singulis diebus bis habeatur Conuen-  
tuali lectio spiritualis, & ædificationis. Primò post meridiem, secundò ante Completorium.

2. Ætatis ergo tempore exeuntes Monachi à Nona im-  
mediatè tendant in Capitulum, ibique cunctis sedentibus, lega-  
tur per aliquod spatium liber spiritualis; diebus autem ieiunij  
habeatur hæc lectio hora prima post meridiem. Quæ lectione  
finita, recitentur Vesperæ Domine nostræ, ac Officium Defunctorum hoc ordine; Dominica die post Vesperas Domine nostræ  
recitentur vespere Defunctorum, similiter etiam feria tertia, &  
quinta: feria autem secunda finitis Vesperis Domine nostræ re-  
citentur primum Nocturnum, & Laudes Defunctorum; feria  
quarta secundum Nocturnum, cum ipsis Laudibus. Feria  
sexta tertium Nocturnum, & Laudes prædictæ.

3. Hyemis tempore fiat signum ad huiusmodi lectionem  
hora

hora prima post meridiem, in Ferijs verò Quadragesimæ hora secunda.

4. Secundò diebus cenæ factò signo ad Completorium congregentur Monachi in Capitulo, Lectorque petita benedictione, loco illius Lectionis *Fratres sobrij, &c.* iuxta antiquum morem, Ordinis nostri intonando legat aliquantulum ex libro spirituali, deindè in tono grauiori aliquid ex sancta Regula, sicut in Collatione dierum ieiunij fieri solet. Dictoque, *Tu autem, &c.* & à Prælato, *Adiutorium nostrum in nomine Domini, &c.* mox cum silentio ad Completorium immediatè pergant.

5. Statuimus præterea <sup>a</sup> sacrorum Canonum, sacriq; Concilij Tridentini <sup>b</sup> sanctionibus adherentes, vt tribus diebus in hebdomada lectio habeatur Casuum conscientiæ in Monasterijs maioribus Congregationis nostræ.

<sup>a</sup> Clemens  
<sup>b</sup> Ne in agro  
<sup>b</sup> fest. 5. de  
Reform. c. 12

6. Nè autem huiusmodi lectio perfunctoria potius, quàm utilis, ac fructifera sit, ordinè sequentè in ea seruari præcipimus.

† Ferijs 2. 4. & 6. (si in eis non occurrat Festum duplex primæ, aut secundæ classis, aut aliud quod à populo collatur, Festum quoque Sanctæ Scholasticæ, Gregorij Magni, atque Bernardi, aut Vigilia Sancti Patris Benedicti.) finitis Vesperis, aliquo spatio quadrantis ferè transacto, tintinabulum pulsetur ad prædictam lectionem, quæ in aliquo peculiari loco cathedram habente magistralè legetur, & per tres quadrantes durabit; In duobus primis dictabit Lector è cathedra, in tertio dictata explicabit, & interrogabit auditores, atque hinc vltimo explanationis quadranti omnes Cõcionatores etiam, & exemptos adesse admonemus, Prædicatores præsertim Iuniores.

7. Quòd si aliquis ex prædictis tribus diebus Festo aliquo fuerit impeditus, sequenti die similiter non impedito lectio illa habeatur.

8. Permittimus autem vt prædictis tribus diebus Vesperæ possint esse intonatæ, nisi in eis occurrat Festum duplex; tunc enim ratione festiuitatis cantentur.

9. Præcipimus vt ad lectionem istam omnes Monachi choro destinati conueniant, postquã habuerint duos Religionis annos cõpletos, curiosèq; scribant, attètè audiât, ac diligèter studeât.

10. Lectores autem teneantur eos qui non occurrerint accersere, eisq; poterunt pœnitentiã iniungere priuationis vini

in Refectorio, aut aliam, quam solus Abbas, aut Præsides Monasterij poterit relaxare.

11. Non poterunt autem ab huiusmodi lectione, & exercitio eximi, nisi prius Prælato, & Consiliarijs constet, iurato Lectorum testimonio, eos decem annis prædictas lectiones frequentasse, & nisi insuper illi nouem saltem Conclusiones ex varijs Materijs collectas coram Conuentu publicè, ac sine Præsidente in aliquo ex prædictis Monasterijs maioribus tueantur.

12. Statuimus, vt prædicti Lectores à Reuerendissimo eligantur, præponanturque cæteris ad huiusmodi electionem illi, qui gradu aliquo Academico fuerint insigniti. Si verò contingat aliquem illorum ratione aegritudinis temporariæ, aut alterius temporarij impedimenti aliquandiu non posse legere, Abbas Monasterij substitutum dignum interim designabit.

13. Prædicti Lectores legant primò materias Sacramentorum, omnesque dubitationes summam explicent, deinde quæ ad virtutem Charitatis, Iustitiæ, ac Religionis pertinent, & quæ illis opponuntur, vt de Correctione fraterna, Furto, Homicidio, Contractibus, Inramento, Voto, & alijs, curentque omnia breuiter distinctè, ac dilucidè tractare, & enucleare, per binos autem menses Conclusiones ex dictatis conficiant, quibus illi patrocinentur; auditores verò duo eas ordinatim defendant per spatium duarum horarum, cæteri que arguant. Nullus autem quantumuis priuilegiarius, & exemptus, nec etiam Abbas prædictis Conclusionibus deerit, qui eadem die aliquid leuaminis impendat.

14. Porrò vt Lectores huiusmodi suum munus suauiter adimplere valeant, eisdem fruantur priuilegijs, quibus gaudent Prædicatores Vrbanici, excepto quòd erant Hebdomadarij.

15. Præcipimus tandem Prælati, vt de omnibus necessarijs ad prædictam lectionem scribendam, Auditores, & Lectores prouideant, alioquin per quatuor menses suspendantur, omniaque hîc statuta sub eadem pæna, alijsque arbitrio Visitantium infligendis, diligenter faciant obseruari, vt, sufficiens, ac necessaria rerum moralium cognitio comparetur.

16. Pro Lectoribus autem vtiliores aliqui, & commodiores emanant libri, qui extra Bibliothecam ad illorum vsum communem in Monasterio conseruentur.

## CAPVT III.

De Oratione mentali Conuentualitèr  
habenda.

1. **Q**Voniam sicut corporalis cibus conseruat vitam corporis, ita Oratio conseruat vitam spiritus. *Alimentum* <sup>a</sup> quippè spirituale Oratio est, ac <sup>b</sup> potus anima, idèò quotidianà <sup>a</sup> August. Orationem ad conseruationem vitæ spiritualis necessariam esse <sup>b</sup> Bernardus per se patet.

2. Licet autem iuxta sanctam Regulam, Oratio in Conuentu omnino breuianda sit, priuatim tamen Monachos frequenter decet orare, cum ex colloquio Diuino, internaquæ cõuersatione cum Deo tota vitæ compositio pendeat, *Oratio enim* <sup>c</sup> *serenat cor, abstrahit à terrenis, mundat à vitijs, subleuat ad cælestia, reddit capaciùs, & dignius ad recipienda spiritualia dona,* <sup>d</sup> *quisque tandem rectè nonit orare, rectè nouit viuere.* <sup>e</sup> Casiod. <sup>f</sup> in Psal. 16. <sup>d</sup> Aug.

3. Quapropter statuimus, vt ter in Conuentu mentalis Oratio habeatur. *Primò* post Matutinum; finitis Laudibus, per spatium vnus quadrantis arenæ fluxu designandi, præcedente priùs lectione alicuius libelli spiritualis, aut meditationum Passionis Christi Domini.

4. *Secundò* post Primam; statuimus enim, vt finita Prima, tintinnale breuiter pulsetur (sicùt diebus Festis ad *Pretiosa* fieri solet) singuliquè Monachi ad sonitum illius in cellulas suas summo silentio se recludent per dimidium horæ, vt priuatim orent, iuxta exercitium matutinale in fine harum Constitutionum appositum. Diebus Festis, ac Dominicis, signum quod ad *Pretiosa* fit, finita Prima, signum etiam sit ad prædictum exercitium, atque adèò post *Pretiosa* habeatur.

† Ianitores verò, & Sacristæ per breue illud temporis spatium nihil Prælato, aut Monachis nuncient, temporaliaquæ tunc occurrentia tantisper expectent, donec iterato campanæ sonitu exercitium compleatur, silentiumquæ soluatur.

Porro si post Primam Missa cantetur, ibi curent Monachi, qui predictæ Missæ interfunt, matutinale illud exercitiū adimplere.

5. Tertio habeatur Oratio Conuentualis in fine Completorii, sicut habetur post Matutinum.

† Ad Completorium autem (iuxta sanctam Regulam) precipimus, quod omnes Monachi occurrat, *ut omnes in unū positi compleant*, nullusque desit, quantumuis hospes, seu priuilegiarius sit, alioquin Regulari disciplina subiaceat; & super hoc Prelati maxime inuigilent, illudque seruent, ac seruari faciant, alioquin in Visitationibus grauius puniantur.

Donati verò ad Orationem saltem mentalem accedant.

### CAPVT IIII.

#### De Ieiunijs, ac Festis colendis.

1. **C**um gula vitio reciso, vsque Ieiunij multa vitia simul domentur, ac virtutes nutriantur, statuimus, vt Monachi Congregationis nostræ præter tēpus Quadragesimæ, aliosq; dies ab Ecclesia præceptos, Aduentum Domini integrè, & frictè ieiunent. In Vigilijs item Ascensionis Domini, Purificationis, & Natiuitatis Beatæ Mariæ.

2. A Paschate vsque ad Pentecosten ieiunent ferijs sextis. A Pentecoste vsque ad Idus Septembris quartis, & sextis ferijs.

3. Ab Idibus Septembris vsque ad Quadragesimam, iuxta moderamen, & concessionem Martini Quati, aliorumque Pontificum, indulgemus vt ferijs tantum secundis, quartis, & sextis ieiunent.

4. Excipimus tamen primò aliquem ex predictis diebus, si in eo, iuxta infra dicenda, carnis vesci liceat.

\* Excipimus secundò, iuxta Priuilegium Eugenij IIII. dies Sanctorum Matthæi Apostoli, Simonis, & Iudæ, omnium Sanctorum, Andree Apostoli (quando venerit extra Aduentum) Natalis Domini cum duobus sequentibus diebus, Circumcisionis, Epiphaniæ, Purificationis B. Mariæ, & Matthiæ Apostoli (quando venerit extra Quadragesimam) in quibus possunt cenare Fratres, *quoniam iuxta monitum Domini ad Sanctum Patrem nostrum Benedictum his solemnibus diebus abstinere non licet.*

2. Ludouic.  
Episcop. auctoritate  
Eugenij IIII.  
concessit.

5. Prop.

5. Propter reuerentiam tamen sacratissimæ Passionis Domini nostri pro nobis crucifixi, omnibus ac singulis sextis ferijs per annum Monachi ieiuent, vno tantum excepto die Natiuitatis Dominicæ, si in feria sexta incidat; carnes tamen nō edant, cum nec Iure edere possint.

6. Feria autem sexta Hebdomadæ sanctæ iuxta morem antiquum Congregationum Ordinis nostri pane tantum, & aqua, herbisque, seu oleribus crudis hora prandij reficiant Monachi.

7. Præcipimus vt in prædictis ieiunijs Prælati non dispensent Conuentualiter, alioquin per tres menses suspendantur.

8. Quòd attinet ad Festa colenda, statuimus vt præter Festos dies ab Ecclesia, vel ab Episcopis institutos, quos obseruare tenemur, Transitus etiam, & Translatio S. Patris nostri Benedicti, diesque omnium Sanctorum Ordinis nostri tanquam dies Festi in Monasterijs nostris colantur; Familiarsque à labore quiescant, quòd Prælati deligenter faciant obseruari, alioquin in Visitationibus grauius reprehendantur.

a C. Expli-  
ri de Obser-  
icium.

## CAPVT V.

### De Flagellationibus Conuentualiter habendis.

1. Quòd attinet ad flagellationes Conuentuales, statuimus vt in sequentibus diebus hora prima noctis in omnibus Monasterijs Congregationis nostræ Monachi congregentur ad sonitum campanulæ in Dormitorio, vel Choro, seu alio comodiori loco, ibique Conuentualis flagellatio fiat, alternatim recitando Psalmum *Miserere* cum Antiphona *Ne Reminiscaris*, &c. & Orationibus solitis.

2. In Aduentu, & Quadragesima ferijs secundis, quartis, & sextis, nisi in illis occurrat festum solemne, aut quòd à populo colatur, vel Vigilia sancti Patris nostri Benedicti, vel etiam Festum S. Scholasticæ, & S. Gregorij Magni.

3. In Hebdomada maiori singulis diebus; feria autem quarta, quinta, & sexta eiusdem hebdomadæ fiat prædicta flagellatio quandiu intonati dicuntur Psalmus *Miserere*, & Psalmus

De

*De profundis* cū prædicta Antiphona, Versibus, & Orationibus solitis, & in Choro accipiatur saltem feria quinta in Cæna Domini.

4. A Dominica in Albis vsque ad Pentecostem accipiatur solum ferijs sextis, nisi occurrant Duplicia, de quibus infra.

5. A Dominica Trinitatis vsque ad Aduentum, & ab Octa-ua die Epiphaniæ vsque ad Quadragesimam accipiatur quartis, & sextis ferijs, exceptis Duplicibus primæ Classis, ac Vigilijs illorū, omnibusq; alijs festis Duplicibus, quæ à populo coluntur, & sequentibus.

6. Festo S. Mauri.

Januarij. 15.

Festo S. Scholasticæ.

Februarij. 10.

Festo S. Marci.

Aprilis. 25.

Festo S. Barnabæ Apostoli.

Iunij. 11.

Festo S. Antonij de Padua.

Iunij. 13.

Festo S. Mariæ Magdalenz.

Iulij. 22.

Festo S. Annæ matris Deiparæ.

Iulij. 26.

Festo Transfigurationis Domini.

Augusti. 6.

Festo S. Rochi.

Augusti. 16.

Festo S. Bernardi.

Augusti. 20.

Festo S. Augustini.

Augusti. 28.

Festo Exaltationis S. Crucis.

Septembris. 14.

Festo S. Angeli Custodis.

Octobris. 1.

Festo S. Placidi.

Octobris. 5.

Festo S. Luca.

Octobris. 18.

Festo S. Martinj.

Novembris. 11.

Festo omniū Sanctorū Ordinis nostri.

Novembris. 13.

Festo Præsentationis B. Mariæ.

Novembris. 21.

Festo S. Catharinæ.

Novembris. 25.

7. Prælati verò qui hæc non seruauerint, graui punitioni in Visitationibus subiaceant.

## CAPVT VI.

### De Eleemosynis pro Conuentu faciendis.

1. **Q**uoniam sicut ignis extinguit aquam, sic eleemosyna extinguit peccatum, vt peccata nostra non lacrymis tantum,



tantum, orationibus, ac ieiunijs, sed eleemosynis etiam extinguantur, statuimus ut in Monasterijs nostris proximorum charitati, pauperumque indigentis maxime consulatur, proindeque nullus egenorum ad ostium Monasterij accedens absque villo consolationis genere, quoad fieri possit, recedat, in exercitium charitatis, ac fidei Christianæ, quæ viritatem agnoscit illius verbi Domini, *Date, & dabitur vobis.*

2. Præcipimus insuper, ut quotidie more solito post meridiem eleemosyna ad Ianuam Monasterij pauperibus largiatur, & quidquid panis, ac fructuum in prædio Cōuentui superfuerit, pauperibus erogandum, ab Ostiario colligatur, ac reseruetur; cuncta tamen cibaria, quæ à mensa Abbatis (quam sanctissimus Parens Benedictus cum hospitibus semper ac peregrinis esse voluit) in prandio superfuerint, pauperibus dētur, iuxta illud Christi Domini, *quod superest date.*

3. Dispensator autem curam habeat præparandi quotidie ollæ iuris pro pauperibus, vel ex residuo Conuentus, vel herbis saltem, & oleribus horti, secundum commoditatem loci, ac temporis, & quoad fieri possit, nunquam hæc charitatis olla deficiat.

4. Statuimus præterea ut in die quo Transitus S. P. Benedicti celebratur, & in Translatione eiusdem duodecim pauperes, sicut feria Quinta in Cœna Domini fieri solet, & fieri præcipimus, cum Monachis in Anterefectorio prandeant, illisque tanquam Christo ministretur in honorem eximie sanctissimi Patriarchæ charitatis.

5. Prædicta autem feria quinta post lotionem pedum, singulis pauperibus lotis, Abbas manu propria duplicem triobolum largiatur, similiter etiam in feria sexta Parasceue Domini Abbas ad ostium Monasterij pauperibus manu propria panes distribuatur.

6. Præterea in die etiam quo mense Nouembri solemne fit Officium pro fratribus nostris defunctis, largior, & efusior fiat eleemosyna.

7. Vestes quoque veteres, tum lanæ, tum linæ cum calcamentis vetustis, pauperibus dentur. Prælatosque insuper admonemus, ut pauperiores aliquos quotannis curēt vestire, secundum possibilitatē Conuentus, & qualitatem personarum.

8. Pro

8. Pro eleemosynis denique secretis concedimus vt Depositarij singulis annis Abbati tribuant aureos decem, quos Celerarius in libro Depositi subsignabit, & ab illis in libro suo Expenditorio se se exonerabit.

## CAPVT VII.

*De Capitulis culparum per hebdomadam.*

1. **Q**uemadmodum Capitula Generalia ad cōseruationē, & consistentiam totius Religionis necessaria omnino sunt, ita similiter ad cōseruationem, & rectam gubernationem vniuscuiusque Conuentus, Capitula culparum frequenter facere necesse est, ne illorum defectu, deficienteque supplicio, & paternis admonitionibus, licentiores fiant Monachi, culpaque à prona in malum natura indies liberius enascantur, ac propagentur, totaque tandem Regularis disciplina, & Monastica obseruantia siluescat.

2. Qua propter statuimus, vt in Monasterijs Congregationis nostræ quotidie hora solita post Missam Maiorem, ante prandium (exceptis Dominicis, ac Festis) Pretiosa habeatur, in eaque si opus fuerit, frequentes culpa, negligentia, ac defectus Monachorum puniantur.

3. Statuimus præterea vt singulis hebdomadis feria tertia, & sexta (nisi alia alicubi sit cōsuetudo, vel specialis dispositio in his Constitutionibus) Capitulum culparum, hora, & more solitis cum explicatione S. Regulæ celebretur ab Abbate, vel ab aliquo ex Prioribus secundum mandatum illius, in quo Capitulo Clamatores, Religionis, & charitatis zelo ordinarios Monachorum defectus proclamant, & coram omnibus aperiant: post quos Magister etiam Ceremoniarius (vt supra notatum est) defectus in illis commissos, & Sacrista quoque violatores silentij in Sacristia sua proclamabunt. Prælati verò paterna charitate, & seueritate permixtis delinquentes secundum qualitatem defectum, aliisque circumstantias occurrentes admonebit, reprehendet, atque puniet.

4. Statuimus etiam, vt peractis proclamationibus, Iuniores  
Disci-

Disciplina in Capitulis Feriæ sextæ surgant, & senior ex illis licentiam signo petat, humilitatis saltem, & mortificationis causa, ad hoc vt in Capitulo coram Conuentu flagellentur. In quo humilitatis actu, & pro occultis negligentijs purgandis necessario, non ita facile Prælatis dispensent, & cum dispensauerint, aliquid aliud faciendum, vel recitandum loco flagellationis illis imponat.

5. Statuimus denique, vt nemo in Capitulo, aut *Pretiosa* reprehensus, aut admonitus se excuset, aut defendat, nisi à Prælato licentiã obtineat, alioquin grauius puniatur. Nemo item extra Capitulum cum Clamatore contendat, aut de culpis proclamatis loquatur, præter quàm cum Abbate, aut Præsidente Capituli, sed humiliter defectus suos agnoscat, & emendari conetur, alioquin tanquam superbus grauiori disciplinæ subiaceat.

6. Clamatores autem admonemus, nè humano aliquo affectu, aut inordinata passione abutentes officio suo, & charitatis munus deturpantes, aliquem proclamare audeant; quod si fecerint grauius à Prælatibus reprehendantur.

7. Prælatos item in Domino exhortamur, & obsecramus, vt ita subditos suos delinquentes castigent, & reprehendant, vt nequaquam suspicari possit reprehensionem, aut supplicium non à charitate Paterna, sed ab affectu vindictæ, aut alicuius malevolentia specie oriri, ac promanare. Vnde licet *instititæ rigor* Bernardus *semper (vt oportet) sit feruidus, nunquam tamen sit præceptor.* Neque item Prælatis contumeliosis verbis, quæ subditos potius dehonorent, quam ad emendationem alliciant, illos aliquando reprehendant. *Arguant igitur, obsecrent, increpent, in omni patientia, & doctrina,* Bernardus *non tamen dedecorent; Producant aliquando uerba. & suspendant uerba, secundum rectum Charitatis ordinem, & prudentiæ dictamen, sine quibus regiminis habenas moderari, & animas regere, prout decet, impossibile est.*

8. Flagella denique ad aliquem Monachum verberandum (licet à Iure possint) raro, vel nunquam assumant, ne hominem potius, quàm peccatorem flagellare videantur.

Se 45

## CAPVT VIII.

De ijs Mandatis sabbatinis, & Venijs  
Dominicalibus.

Cap. 36.

1. **STATVIMVS** vt secundum sanctam Regulam, antiquamque nostri Ordinis laudabilem consuetudinem, non singulis sabbatis, singulis saltem mensibus primo sabbato Festo solenni non impedito infallibiliter Mandatum fiat, in quo Seruitores Monachorum pedes lauent, cæteraque sicut prout in Cæremoniali nostro habetur, in gratiam Religiosæ humilitatis; piamque recordationem illius supremæ, & eximiæ, quam Christus Dominus in vigilia Passionis suæ exemplum nobis relinquens, exhibuit. Super quo Prior specialem curam habeat, alioquin in Visitationibus reprehendatur, & puniatur.

2. Prædicto autem die Feriæ quintæ in Cæna Domini Monachos omnes, ac pauperes duodecim (prout in eodem Cæremoniali habetur) Abbates humiliter lauent.

3. Statuimus vt secundum morem antiquum singulis Dominicis post Primam (exceptis ijs, in quibus Festa duplicia primæ, aut secundæ classis celebrantur) singuli Monachi ordinatim ad cellulam Prælati accedant, & coram eo procumbentes, genibus flexis manendo, culpam suam dicant de defectibus, & negligentijs in præcedenti hebdomada commissis, veniamque humiliter postulent, Abbas verò clementer illis indulgeat, & aliquam pœnitentiam, quam statim impleant, imponat.

4. Porro, si Monachi aliqua re indigeant, ibi eam postulent à Prælato, ipseque si aliquid habeat secretò monendum, ibi eos moneat, & paternè reprehendat.



CONSTITVTIO III.  
De Victu, & Vestitu Monachorum.

## CAPVT I.

*De Refectione corporali.*

IRCA esum, ac potum Monachorum tria sunt, quæ ordinare oportet, qualitas videlicet ciborum, illorum quantitas, & hora edendi.

1. Quod ergo attinet ad qualitatem, decernimus, vt in omnibus, & quibuscunque Monasterijs Ordinis nostri (præter Quadragesimam, & Aduentum, aliosque dies in quibus ab Ecclesia, seu in propria Diocesi carniū esus prohibetur) conuentalitè pisces comedantur Ferijs secundis, & quartis. In Litanijs etiam ante Ascensionem, & Feria tertia ante diem Cinerum.

2. Extra tempus verò prædictum, imbecillitate humana perpensa, & Alexandri VI. aliorumque Pontificum facultate, dispensatiuè ordinamus, vt carnibus vescantur Monachi Dominicis diebus, Ferijs tertijs, & quintis. In Festis item Duplicibus primæ classis \* Primis tribus Octauis Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, quæ à populo coluntur. \* In die Circumcisionis Domini. \* In Festo Purificationis, & Natiuitatis Beatæ Mariæ. \* In die Commemorationis Omnium fidelium defunctorum. \* In Festo omnium Sanctorum Ordinis nostri, \* & in die Officij solemnæ pro Fratribus nostris defunctis. In his enim carniū esum concedimus, quanuis 2. aut feria 4. occurrant.

3. Statuimus, ac districtè præcipimus, vt prædictis diebus, in quibus esus carniū interdicitur, Prælati sub pœna trimestris suspensionis, conuentalitè non dispensent, nec etiam specialiter cum aliquo, aut aliquibus ad carnem edendam (quantumuis graues sint personæ, aut etiam Hospites) nisi ægritudo, imbecillitas, aut necessitas interueniat, alioquin suspendantur.

4. In Aduentu autem Domini, huiusmodi speciales dispensationes difficiliùs concedantur.

5. In diebus denique ab Ecclesia prohibitis, Prælatos, &

Monachos admonemus, vt serio causam edendi carnes considerent, & expendant; nimius siquidem sanitatis, ac valetudinis amor causas aliquando, & indigentias facile effingit, ac qualicumque necessitati fomitem subministrat.

6. Unde vt remedio opportuno facilitati carnes edendi indistincte, & quouis tempore, occurramus: precipimus, vt nulli Monacho habitualiter quasi ægrotò carnes in diebus etiam ab Ecclesia prohibitis concedantur, nisi Medicus coram Prælate audita ibidem Monachi necessitate, causa, & indigentia, in scriptis sub iureiurando facultatem illi præstandam censeat. Omnesque facultates hastenus concessas reuocamus, donec alix de nouo hoc ordine habeantur.

7. Precipimus vt mensa, seu refectio Conuentualis sit vniuersalis, omnesque Monachi, atque adeo Superiores etiam quicumque eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio conuentualiter vescantur, neque ratione dignitatis, aut officij plura habeant fercula. Neminique liceat cum Conuentus in Refectorio pisces edit; ibidem simul carnibus vesci, subditi verò, vel Prælati qui prædicta non seruauerint, grauitè à Superioribus puniantur.

8. Quod attinet ad quantitatem cibi, & potus, statuimus, vt panis detur unicuique secundum indigentiam ipsius.

9. Ad prandium in diebus carnis detur primo solum minutal ex carne búbula in ea quantitate, vt ex vna libra carnis tres fiant portiunculae, vel aliud quid simile. Deinde detur portio búbulæ, quæ libram contineat, cum frustulo lardi. Quibus verò necessitas inest, portio detur arietina, quæ tres partes libræ contineat.

10. In diebus quibus pisces comedantur, detur ad prandium minutal ex leguminibus, aut aliud quid simile, & portio piscis libram continens, atque scutula iuris ex ciceribus, seu ex herbis satiuis, aut ex huiusmodi alio. † Qui piscem non comederit, habeat oua tria, & in diebus ieiunij quatuor.

11. Pro qualitate temporum addantur etiã ad prædium racemi, vel ficus, cerasa, vel poma, seu alia huiusmodi ex arboribus, seu horto nascentia, secundum possibilitatem Monasterij, & prouidentiam Cellerarij.

12. In Aduetu autè, & Quadragesima Ferijs tertijs, quintis, & sabbatis dentur ad finem prædij, vel poma, vel nuces, vel caricae, aut quid simile.

13. In

13. In festis solemnibus primæ Classis, cuiusmodi sunt quatuor Festa Paschalia, & Festa S. P. nostri Benedicti, propter solemnitatē festi, & laborem Monachorū, lautius solito paretur prandium secundum prouidentiam Prælati. † In illis autem in quibus ad Laudes *Benedictus* saltem cantatur, detur oryza.

14. Ad cœnam diebus quibus caro vescitur, dentur singulis Monachis semilibra carnis arietinæ quoad fieri possit; diebus verò quibus caro non vescitur, detur ad cœnam aliquod etiam principium, deinde aliquando tres partes libræ piscis, aliquando oua tria, vel saltem duo, præsertim ultra Mondam. Addantur etiam herbæ hortenses, vt rafani, lactucæ, & aliæ, & aliquando frusta casei, seu oleæ conditanæ, vel poma, secundum possibilitatem domus, ac diuersitatem temporum.

15. In collationibus ieiuniorum Ecclesiæ, & Aduentus seruetur consuetudo. In Vigiliæque Natiuitatis Domini dentur dulcia vt mos est, nullatenus verò pecunia.

16. In Regularibus autem refectiuunculis detur tertia pars panis, cum pomis, vel caseo, vel alio simili.

17. Circa potum verò statuimus, vt cheopina vini secundū mensuram veterem, singulis Monachis apponatur ad prandium, & altera ad cœnam. In diebus autem ieiunij, ad refectiuunculam nocturnam dimidium tantum illius detur, nouem scilicet vnciæ: cum Hemina quam sancta Regula pro prandio, ac cœna concedit, triginta sex capiat ( prout in Casino reperitur.)

¶ 18. Quoad qualitatem verò statuimus vt vinum toto anno maturum sit, & sanum, non lymphatum, seu aqua mixtum, nec etiam cum vino omphacino, seu (vt aiunt) viridi; quam mixtionē *in virtute sancte Obedientiæ* fieri prohibemus.

19. Fratres Disciplinæ quandiu Sacerdotes non fuerint, vinum non bibant, si autem occurrat legitima causa cum aliquo dispensandi, Abbas non nisi cum Consiliarijs dispenset, & in scriptis dispensationem concedat.

20. Statuimus, vt in Refectorio semper habeatur lectio ad primam mensam. Similiter etiam ad secundam, si Monachi accumbentes quaternarium attingant, super quo Priores inuigilent, faciantque silentium obseruari.

21. Seruitores ita ministrent mensis, vt hebdomada vna mensa dextræ prius fercula ferant, hebdomada altera mensa sinistra:

sinistra, & sic alternatim.

22. Prælati, & Officiales qui singula prædicta quo ad cibū, & potum, & cætera omnia non studuerint adimplere, aut in obseruatione illorum negligenter se habuerint, puniantur in Visitationibus ad arbitrium Visitantium, iuxta qualitatem culpæ.

23. Quod attinet ad horam refectionis, statuimus vt à Pascha vsque ad Idus Septembris exclusiue diebus cœnæ prandeant Monachi circa horā decimam. Ab Idibus autem Septembris vsque ad Quadragesimam, & in diebus ieiuniorum Regularium per totum annum, prandeant circa horam vndecimam.

† In Aduentu, & diebus ieiunij Ecclesiæ hora vndecima.

† A primò denique Sabbato Quadragesimæ vsque ad Pascha (Dominicis tantum exceptis) prandeant dictis Vesperis.

24. Cœnent verò post orationem Completorij, dispensatiue vtentes priuilegijs Pontificijs, & post cœnam recreentur, si per tempus licuerit, donec signum fiat ad recitationem Matutini, & Laudum Dominæ nostræ sequentis diei.

25. In diebus ieiunij facto signo ad Completorium, immediate tendat Conuentus ad faciendam Collationem, qua finita, immediate etiam, & absque vlla interpolatione ad Completorium dicendum pergat.

† Prædictum autem signum fiat hoc ordine: A 20. Septembris vsq; ad 25. Martij, pulsetur hora quinta. A 25. Martij, vsq; ad 20. Aprilis, pulsetur hora quinta cum dimidia. A 20. Aprilis vsque ad 10. Maij, hora sexta. A 10. Maij vsq; ad 10. Augusti, hora sexta cum dimidia. A 10. Augusti vsq; ad finem eiusdem, hora sexta. A 1. Septembris, vsq; ad 20. eiusdem mensis, hora quinta cum dimidia.

## CAPVT II.

### *De indumentis Monachorum.*

**C**IRCA indumenta Monachorum statuimus Primò vt in omni Congregatione nostra vno, eodemque tempore illis prouideatur ordine sequenti seruato,

1. Cucul;